



Jo: Angelo De Contecillis
1583.







Emptus Perusię [illegible] -15.

(1)

TRACTATVS
DE DIFFERENTIIS
Et curatione Febrium,
Ac de Sanguinis mißione,

Rei medicæ ſtudioſis valde vtilis & accommodatus;

Nunc recens ad communem vtilitatem excuſus:

Io. Angelo de Contecillis, ab Aquila, Aprutiorum Protomedico, Authore.

CVM PRIVILEGIO.


Aſtorij




Paul...

M D LXXXIII.

Venetiis, Apud Felicem Valgriſium.





dicio reponatur, atque eorummet cen-
suræ se præponat, qui plerunque
non rationi, sed voluntati conforman-
tur: sed quia viuimus, vt quàm cito
nobis ac alijs prodesse poßimus, quo-
niam in scientia abscondita, ac the-
sauro inuiso, nulla in vtrisque vtili-
tas sit. Dicamus enim, omni qua de-
cet reuerentia, tuo sub clypeo, hæc
omnia, quæ in rei Medicæ vtilitatem
longis vigilijs, ac laboribus excerpsi-
mus; vt tam à detractoribus sint de-
fensa, quàm etiam hanc meam animi
sinceritatem, licet doni pusillitatem
maxime excedat, hylari animo acci-
pias, & si in honore, vitæ integritate
moribus, liberalitate, atq; in omnibus
tuis, haudquaquam consona sint, ve-
rum-

rumtamen quia naturæ, virtutiq́; tuæ, tam vt animo ipsis deseruiam, quàm etiam in his monumentis sim gratus, confidimus, cumque prone acceptura fore certo sciã, tua sub protectione, ac spiritualis amoris tranquillitate, me repono. Vale.

Index per capita, Libri ſecundi.



INDEX, LIBROS

Et capita denotans.

mo-

co

F

Humo-

I

L

M

Mino-

Pituitæ

T

V

FINIS.

TRACTATVS DE DIFFERENTIIS, *Et curatione Febrium,*

IO. ANGELI DE CONTECILLIS Medici, ab Aquila.

De Diarÿs. Caput Primum.



EBRIS, eſt calor præter naturam feruens, ac in ebullitione poſitus, qui ſi ad cor per arterias, ac uenas diffũdatur, tunc homo febricitat: quoniã quantumuis calidior, quã antea ſeſe oſtendat, nondum febre corripietur, niſi immodico hoc aucto calore in corde, functiones, ac eius actiones ſedantur, ægerq; decumbat, & ſic primo accenſo calore febrili in ſpiritibus, ſimul & aucta ſiccitate in humido radicali, fit febris ſpecies, quæ ſimplex diaria nuncupatur, circumſcripta à tempore ui-

gintiquatuor horarum, diei naturalis ſpatiũ. at uerò alia plerumq; fit febris, quę diaria plurium dierum, uel ſynochus non putrida, ac etiam earum eſſe, quæ extra uenas, & ex genere febrium intermittentium conſonum ſit dicere. Verum in ſimplici diaria febre, urina, ac pulſus parum à naturali ſtatu recedunt, & feſtinanter nullo admoto præſidio, ipſa per ſe ipſam metita, atque ſua exacte natura penſitata, remota ſua procathartica cauſa ceſſat febris: ipſa autem ſynochus, quia à ſimplici atq; exquiſita diaria ortum trahit, & in ſpirituum pariter, ac humorum aliquali intemperie reponitur, tum refrigerando, calefaciendoque, quum etiã alia (ut decet) cõtrarietate, nudas ſuas qualitates, ac etiam eius differentes cauſas curabimus, pariter & educemus, atque demum reliqua in aliis indicationibus paranda uenient, ſecundum quod natura dabit inducias per motum, ac humorum eductionem, loco in quem uergent adiuuando.

Caput II.

Ipſe dicimus, quòd ex his ſit tranſitus in omnes alias febrium ſpecies, contiguitate al-

terius,in reliquas,ſecundum corporis aptitudinem eas recipiendo, quæ cum reponantur ſub triplici genere, non mirum ſi à ſpiritibus, in humoribus, & ex his, in membris ſolidis, quæ impetum facientia, contenta, ac continentia Hypo.epi.6.par.8. appellat, tranſmutari poſſint: quandoquidem in gradu ſimboleitatis magis inflammari uiſuntur, quę aereę igneęq;, ac leuiſſimę ſunt ſubſtantiæ quamq; aqueę,vel terreæ ſint participes,ut ſunt humores, & hi magis,ac minus etiam,ſi ſubtiles,ſubtiliores, uel denſi, ac craſſiores fuerint, vt gradatim cõtingit in pituita, ac atra bili, demum quàm difficillime accẽdi membra ſolida, cum in neruis,fibris,membraniſve ſita ſint,ac inde tãquàm habitus ſiue fixa febris hectica emanatur. Sãguis enim,quia Aer, Bilis flaua,Ignis, Pituita,Aqua,Atra bilis,Terra,unà circumcidunt, ac conſcribuntur, hique humores citiſſime,cito,ac ſero accendi poſſe omnes fatentur. Quandoquidem ſanguis,atq; bilis à quacumque leui cauſa in febrium naturam tranſmutantur. quam primitiuam extraneamque cauſam uocatam Gal. aſſerit, ut ſunt Motus, Laſſitudo,Ebrietas, Solis æſtus, Ira, & id ge-

nus,cito,ac difficulter accendi pituita, & à maiori, fortiq; etiam causa,ut sunt labor, frigus, cutis stipatio, maris lauacrũ,aluminosæ thermæ,& sic de cęteris prægressis causis,quarum cathalogum seiunctim ostẽdit Gal.lib.de differẽtiis feb.primo. Verum quia atra bilis,qua ipsę febres ad longum tempus sui natura protrahuntur, sero ac difficillime accendi, atque in igneam naturam uerti potest: Ita diu, ac in transcensu temporis,aliorum morborum humores euincit, quoniam in aliis morbis longitudo,& per dies ac septenos circuitus transcendit, secus in his qui immediate ab atra bili ortum trahunt, quum non per dies, sed per multos etiam mensium lapsus,eorum diutina prorogatio fiat, ut sunt lepra,elephantiasis, quartana,atque huiusce genus morborum.

Caput III.

Iam diariarum febrium, quæ sint causæ, è quibus spiritus præter naturam incalescunt, atque accenduntur, aliquas enarrauimus, & si eas ipsas omnes singulatim, ac perbelle lib. ad Glau.cap.2.de differentiis feb. cap.7. Gal. indi-

indicet:verum quia ſigna,ac indicationes,qui bus deprehenduntur, iam apprime inueſtigã da ſeparant, eorumq́ue ipſa, quàm multa & opportuniora narrare reſtat,vt sũt vna in om nibus pulſus æquales, molles, ac ordinati, & exquiſitam ferè ſeruant naturam, vt in ſanis: vrina enim imitatur,quæ ſecundum naturam fit, nihil verò vel parum deflectit colore ſub-rufo, ac ſubſtantia mediocri,quantitateve re ſpondit potui, quo parco,medio, vel copioſo vſus fuerit æger, at ex his tandem quod in vrina reſidet ſecundum quòd magis naturę dominium portendit, ita candidum, leue, ac æquale ſedimentum offeret, & ſic concoctæ, uel ſemiconcoctæ materię, magis, ac minus adhęrebit. Caloris enim gradus in omnibus mitis, & quàm benignus ſe oſtẽdit,deſinũt,ac ſoluũtur, per inſenſibilem halitum, ſenſimq; madore,ac ſuaui ſudore effugiunt, ac tranſpi-rant: alienæ enim ſunt à cunctis ſymptoma-tibus, quæ alias febres aſſociant, vt ſunt ſitis maxima, vigilię,inquietudo, dolores tum ca-pitis, cum etiam ventriculi, & hypocundrio-rum, & id genus. verum ſi à cauſa extrinſeca omnes ortum habeant, ac etiam omnibus

omnes ſint communes. Ita vnà cunctis huiuſce febribus, ipſe conſcius ſum, vinum concedere Gal. inquit, lib.meth.8.cap.3. ſed quod tùm aſpectu, tùm uiribus ſit aquoſum, quippe qui ad omnia utilius, quàm aqua eſt: quandoquidem urinas, coctionem, ſudores, ac mẽſtruas purgationes prouocat. ea propter in earum curatione lotium, ac ſudorem prolicit, pariter & diutinam moram in balneo aquarum dulcium calente, uidelicet quando ex primitiua cauſa amiſſam humiditatem reſarcire procuramus, animaduertit.

Caput IIII.

Cum omnium humorum præſtantior, ac præclarior ſit ſanguis, fit quòd auctus numquam purus, ac ſimplex cõſiderari poſſit, quoniam in eo æque ſe reponunt ad iuſtitiam omnes humores, ita ut in eorum maſſa febrilis diſpoſitio fiat: & quia aliàs, ex alio de prædictis incipit, minime permanet in primo affectu, ſed temporis progreſſu reliquos humores afficit, niſi prius debite ſoluatur, quoniam febrium genera ſe conſequio trahuntur. Calor

lor enim natiuus, ac tandem uita noſtra, in ſymmetria quatuor qualitatum ſimplicium, actiuarum, ac compoſitarum uerò non exceſſiuarum paſſiuarum, ſedem habet quieſcit, ac reponitur, quæ intemperie ſita repręſentant quatuor elementa in corporibus ſanis, & tàm exercitio modo quo debet, ſuis conditionibus adminiſtrato, quàm etiam par citate cibi potuſq́ue, paſſim ea ipſa tempore, ordine, delectatione, neque qualitate præpoſtera metiri, atque his uti debent. Enimuero non ſatiari cibis, neque impigrum eſſe ad labores hoc facit, quòd numquam in morbũ periculoſiorem incidere quis poſſit, licet etiã quòd intueri ſit, quàm neceſſario aduertẽdũ in reliquis ſex rebus non naturalibus.

Caput V.

Caloris præter naturam, multi ſunt modi, ac cauſæ, qui ortus, eiuſq́ue auctionis: gignitur enim ignis motu, quo ligna, lapides, ac ferrum excandeſcunt & accenduntur, Ariſt. inquit, pariter & putrefactione, ut contingit in fimo, quia immo & contiguitate, ac adhæſu

ignis materię, in qua is ipse impartiri debet, quoniam ad calefactionem aeris etiam quæ propè ipsum sunt, concalescunt, & in igneam naturam mutantur, ita ut citissime, ac prompte in hanc conuerti possint: omnia enim si lubet, sunt ęstus, ex sole, igne, medicamento, uel alio quouis alio modo animo uobis sit appellare. Ira enim quæ in cordis sede reponitur, cum sit ignei caloris, concalescunt spiritus, ex spiritibus sanguis, & si prompte se habeant suscipientia corpora, ita ut principium motus, ac ebullitionis, sit in natiua caliditate, quæ impedita à cutis cōdensatione, atque meatuum adstrictione, fit quòd impediatur etiam humorum difflatio, & sic augetur calor, cū intra corpus refrigerans aer trahi non possit, & tūc corpus ægrotare, ut contingit in his qui motus fortiores substinent, uel in æstiuo calore diu permanserint, uel in lauacro calidarum aquarum descenderint, atque eo satius, si excrementosa extiterint corpora, ac prompta, & habilia ad suscipiendum morbum.

Caput VI.

Differentia uero caloris in omni febre ſumitur uel ipſo humore , in quo ipſa accenditur, quem ſimplicem, ac purum, ut in exquiſita tertiana ex ſola bili, uel copulatum, ut bilis & pituita, ut contingit in tertiana notha, conſiderare quimus, quarum materia tum fit diuerſa in febribus deſinentibus ad infebricitationem, cum etiam in aliis continuis putridis, tàm ſi extra, quàm ſi intra uaſa cõtineantur, pariter & à mouẽdi motu, uidelicet dum per multum, ac paruum tempus acceſſionis inſultus, ſiue paroxiſmi homo febricitet, & huius febrem magnam, uel paruam Medici uocare conſueuere, licet improprie, quoniam caloris qualitas reponitur in gradu intenſionis, ac remiſſionis caloris præter naturam, & ſic eſſentialiter calidiſſima, uel calidior, in gradu qualitatis febrilis in uocabulo enunciari deberet, cum de rei qualitate, & non quantitate ſermo habeatur. Quinetiam & à corporis temperatura ſumitur cõiecturali artificio, indicatio, is, uel alius humor dominari, at ex

iis febrilis inſultus longior, uel breuior fieri, ægerque moleſtari tum acutiori, cum mitiori calore febrili, ita tamen ut ex iis ſigillatim ad particularia deſcendendo, ſimplicium, atque compoſitorum medicamentorum uſum quo morbi cauſa educatur, adminiſtrare poſſimus: quandoquidem in maiori humorum copia, magis quàm in minori humorum purgandorum qualitatiua doſi indigemus, aliàs iis non recte metitis, ac exacta ratione deuolutis, Medicamenta propinentur, uel prauiter, ac moleſte humores educi poſſint, uel cũ maximo uitæ diſcrimine, materias turgendo, irritando, mouendoque febris calor augeri, uirium robur emaciari, uel eorum ad mẽbra principaliora raptum fieri continget.

Caput VII.

Auicennas prima quarti aſſerit, febrẽ morbum eſſe communem, eo quia totum corpus, ac cor, ſua qualitate afficit, quandoquidem calori naturali toto corpori extenſo communicatur, quod haudquaquàm aliis morbis cõtingit, cum ſigillatim ab iis corporis partes afficiant-

ficiantur, vt in pleuresi opthalmia, periuchmonia, & id genus phlegmonum accidere uidetur. Eapropter cum in his morbis causæ sint plerumque sanguis excalfactus cum bili, reponanturque in speciem morborum perperacutorum audacter, ac præsto sint præsidia, aliàs uel nullam, uel obscuram, ac demum post longum tempus utilitatem afferent: sic etiam fortius dicendum sit in angina, cum in his omnibus sanè sola sit salus uirium robur, quæ obiter enarrasse non ab re fuit.

Caput VIII.

Exempla, vt distincte febris agnoscatur, ponātur primò in diaria, & fingas calidum ventum, siue spiritum vtri inclusum, & ab hoc vter calefieri, ita sunt & spiritus ad intemperiem deducti, quum vniuersum corpus calefacere sint apti; Secundò in putrida, quum aliunde non denominetur, quàm quod in ea humores putrefiant, & fingas aquam calidam vasi frigido infusam, a qua vas calefieri, pariformiter & humores præter naturam calefacti, corpus etiā totum àb his calefieri. Tertiò

in hectica, & fingas absimilem esse vasi calido, in quo si aqua frigida infundatur, ab ipso tandem ea calefit,& sic à calore in partibus solidis figitur præter naturam calor, vt ab ipso tandem omnes corporis humores, ac etiam & partes solidas calefacere valeant. Quid si hæ febres fabricatę fuerint in fieri, fingas fabrilem follem trahere ad se aerem admodum calidum, tandem ab eo successiue & in tempore calefieri, nondum incaluisse, ita & spiritus,humores, ac membra solida ad actum calefactionis, nõdum peruenisse, quod vere possit dici febris, in actu, quũ necessum sit quod adsint præcedentium alteratio,cum tempore iam introductę calefactionis pręter naturam, vt accidit in intẽperie calida, & humida, quia hæ qualitates numquam sint expertes quin in putrefactionem non incidant,pariter & intemperies calida,& sicca,quin in hecticam febrem nõ transmeet, ac in exitialem affectum currat, quoniam ne leuissimum quidem errorem tolerat, vt Gal.annotat lib.meth. 10.& si quis seruatur, carnosa tantum portio ab hac occupabitur, quia solidis siccatis fieri nequit vt homo prorsus sanetur, nam primũ propriã

partium

partium omnium humiditatẽ,ex qua alimentum capiunt depaſcit, hinc ad carnoſum genus tum fibrarum,tum membranarum trãſit. Vltimò ſolidis ſiccatis morbi ſenectam generabit, quoniam tum ſpiritus, cum humores, ac etiam ipſas ſolidas partes populatur, vt in poſterum ſuo loco dici aggrediar, & pro tunc curſim dicta ſint ſatis.

De Tertiana exquiſita. Cap. IX.

De ſimplicibus febribus dicendum primò erit, tamquàm ſint compoſitarum regula. Idcirco ponamus febrem ex pura, ac exquiſita bili excitatam,qua delata per membra ſentientia præhenditur rigor pungens, ac veluti acus carnẽ feriens, & tertiana ſimplex exquiſita vocatur. Cuius acceſſio etiam quod tempus ſuum fuerit excedens, duodecim horarũ ſpatium non pertranſit, hancq́ue ſimul currunt, ac uadunt ægri intemperies calida, ſiccaue, quæ bilioſa dicitur, tempus anni, ac regio in caliditate deſtituta, victus calidus, vigiliæ, animi perturbationes, ac reliqua quæ hãc acquiſitam temperiem caliditatis, atque ſic-

in hectica, & fingas absimilem esse vasi calido, in quo si aqua frigida infundatur, ab ipso tandem ea calefit,& sic à calore in partibus solidis figitur præter naturam calor, vt ab ipso tandem omnes corporis humores, ac etiam & partes solidas calefacere valeant. Quid si hæ febres fabricatę fuerint in fieri, fingas fabrilem follem trahere ad se aerem admodum calidum, tandem ab eo successiue & in tempore calefieri, nondum incaluisse, ita & spiritus,humores, ac membra solida ad actum calefactionis, nōdum peruenisse, quod vere possit dici febris, in actu, quũ necessum sit quod adsint præcedentium alteratio,cum tempore iam introductę calefactionis prętér naturam, vt accidit in intẽperie calida, & humida, quia hæ qualitates numquam sint expertes quin in putrefactionem non incidant,pariter & intemperies calida,& sicca,quin in hecticam febrem nō transmeet, ac in exitialem affectum currat, quoniam ne leuissimum quidem errorem tolerat, vt Gal.annotat lib.meth. 10.& si quis seruatur, carnosa tantum portio ab hac occupabitur, quia solidis siccatis fieri nequit vt homo prorsus sanetur, nam primũ propriã

partium

partium omnium humiditatẽ,ex qua alimentum capiunt depaſcit, hinc ad carnoſum genus tum fibrarum,tum membranarum trãſit. Vltimò ſolidis ſiccatis morbi ſenectam generabit, quoniam tum ſpiritus, cum humores, ac etiam ipſas ſolidas partes populatur, vt in poſterum ſuo loco dici aggrediar, & pro tunc curſim dicta ſint ſatis.

De Tertiana exquiſita. Cap. IX.

De ſimplicibus febribus dicendum primò erit, tamquàm ſint compoſitarum regula. Idcirco ponamus febrem ex pura, ac exquiſita bili excitatam,qua delata per membra ſentientia præhenditur rigor pungens, ac veluti acus carnẽ feriens, & tertiana ſimplex exquiſita vocatur. Cuius acceſſio etiam quod tempus ſuum fuerit excedens, duodecim horarũ ſpatium non pertranſit, hancq́ue ſimul currunt, ac uadunt ægri intemperies calida, ſiccaue, quæ bilioſa dicitur, tempus anni, ac regio in caliditate deſtituta, victus calidus, vigiliæ, animi perturbationes, ac reliqua quæ hãc acquiſitam temperiem caliditatis, atque ſiccitatis

citatis adiuuent, cuius ſylua recitatur à Gal. lib.meth.9. huiuſque enim febris acceſſio plerumque fit breuior, ac longior, & maiorem, vel minorem differentiam ſecum fert. Quantitate, qualitateve, ac viribus, tumq́ue etiam corporis diſpoſitione præſentis ægrotantis, quandoquidem maior bilis quantitas, maiorem, ac longiorem acceſſionem ducit, ſic & cæteris paribus, minor minorem acceſſionem præſefert, tumq́ue idem cadit in materia tenuiori, quàm craſſiori, pariformiterque vires robuſtiores, breuiorem: imbecilliores ſve, diutinam pariunt acceſſionem, ſicque ægrorum corporis raritas, quam inſequitur, exterior cutis polities, albedo, pororũ apertio, vt ſunt Iouiales, ac etiam effęminati, & delicatiores uiri, à quibus ut in pueris humores exhalantur, ac euaporantur, & breuiorem acceſſionẽ ducet, quàm alij, qui in alia ægri diſpoſitione, ac cutis ſtipatione permanſerint, ut ſunt Nautæ, Aegyptij, Hyſpani, & hi qui diutino tempore ſub feruenti ſole degunt.

Caput X.

Febris enim intermittens, ſic dicta, quoniã eius acceſſio perpetuo corpus nõ affligat, ſed ipſa remittatur, atque deſinat: repetit enim acceſſiones, ac ipſas renouat, ut eſt tertiana pura, quæ idcirco dicitur, quoniam diem unũ intermittat, tertioque redeat, quod quàm maxime admirandum, ac ſolerti conſideratione diſcutiendũ diſputandumq́ue arbitror. Quare Bilis tertio, Pituita vero ſingulis diebus, Atraq; bilis quarto die ægrotantes in ſuis circuitibus affligendo parata ſint: differũt enim inuicem intermittẽtes, à continuis ſolùm per circuitum acceſſus, quoniam hæ deſinunt ad infebricitationem, permittuntq́ue ægrotãtes in dies quieſcere, reliquæ autem febres eos ipſos ſingulis diebus affligere, etiam quod utręque in eodem met humore cõmunicentur: enimuero non ſat erit dicere, quod hæc extra uenas, iſtaue intra uenas, ex putrido eorum humore ortum habeant. Quoniam Bilis numquam ſola extra uenas reperitur, præterquã in uiſcere, quo natura reſeratur, quod

chi-

chiſtifellis appellatur, & tunc niſi immodice augeatur, ut per totum corpus diffundatur, immunem ac ſalubrem hominem ſe tueri fatetur. Ita dicendum de atra bili, quæ ſola cum in liene quieſcat, ac in eo ſedem habeat, ſi ad maximam eius copiam non deducetur, certo nulla ex parte noxam homini inferet. Ita etiã & de pituita par ſit tenere. cuius ingeſtio, ac generationis uia cum fiat in uentriculo, numquam homini aliqualis læſio impartietur, niſi ad excedentem, ac copioſam eius quantitatem deuenerit, ut inde ſuſpecto ſit, quòd innatus calor nõ ſolum ſe imbecillem reddi, ſed fortè ſuffocari. Porrò tunc febrilis læſio corpori paratur, quando ſanguis præuia ſui alteratione, ac intemperie, plus iuſto calefit, & tunc febris ab uno, uel copulato humore, reliqua autem ab alio, iuncto etiam humore ori ri: adeoquòd natura in abſcondito operatur, neque apud nos reuelatione ipſam rei ueritatem nanciſci, ac noſcere poſſumus, certo ſcientes intra ſanguinem omnes humores exiſtere, qui niſi non excedant à ſui proportione, ac ſymmetria, nullam febris ſpeciem emanant, & quando hanc, uel illam fateri iubet Gal. ab

re

re non erit inuicem miſceri continuas febres, cum interpellatis, atque ab his per ſingulas corporis partes lęſio diſpergi.

De Febre putrida. Cap. XI.

Ex putredine accendi febrem præuijs humoribus,& ſtipatis,ac obſtructis meatibus,mirum videri non debet,eo quia impeditur diſflatio, ac eorum euentatio ab intra ad extra, eapropter humorum copiam, ac phletoram ſequuntur, iis adiuuantibus videlicet. Regio, anni tempus,ac aer ambiens, & ſic repoſiti in plenitudine quo ad vaſa, à natura euinci, ac concoqui minime poſſunt,& tãdem corrumpuntur. Idcirco præcedentes febrium cauſas ipſi dicimus eſſe redundantiam tenacium, ac glutinoſorum humorum, quibus obſtructio oritur, hancque mediam cauſam appellare lubet. verum hanc ſequitur ipſa tranſpirationis retentio, merito cuius humorum putredo excipitur, ipſa ſcilicet antecedens quædã cauſa. Quinimmo cum non ſit de nominibus diſputandum, duas fatemur eſſe principaliores cauſas,antecedentem vnam, vt sũt humores,

qualitate viſcidos, obſtructionem, impeditam tranſpirationem, aliamque eſſe putredinem, quæ cum ſimul coincidant, ac compatiantur, ad ſe inuicem referuntur: quoniam queq; febris putrida continua, præſupponit humorum copiam, & ex hac meatuum reſeratione, deinde putredinem, & ſic antecedentem, con iunctamque reſeramus. Igitur ſi febrem curare velimus, confeſtim eius cauſa tolli debet, & tunc putredinem inhibebis: alioquin ſi obſtructionibus liberandis accedas, priuſquam antecedentē cauſam euacues, ipſam certo augebis, ac in maiorem vitę calamitatem, hominem duces. Quapropter pugnantibus indica tionibus, attentum fore eſſe arbitror ad id quod magis vrget, minime neglecto altero. Verum quia primis diebus euacuare non in continentibus modo, verumetiam in omnibus aliis febribus, quas putreſcens humor cō citat, præſtantiſſimum eſt remedium venę ſectio, cumque hac ipſa iuxta omnes humores tollantur, & tandem redactis humoribus in minorem ſarcinam, leuatur natura, fitq; fortior circa reſiduum, & inſequentur duo maxi ma, ac ſaniora emolumenta. primum quod

portio

portio febris, quæ iam accenſa eſt, auferetur, reliquum quod febris, quæ in generatione ad huc erit, euitabitur ne fiet.

Caput XII.

In genere febrium continuarum putridarum aliæ ſunt mites, aliæq; acutæ, licet ſæpius acutiores ſint, quandoquidem ob earum materiã præſto, ac velociter finem ſuum attingunt, vt contingit in materia furioſa, ac ſurgenti: irritata enim natura ad excretionem ſyptomatici humoris, illico ipſum rapit expellendo ad caput, vel aliud membrum principale, & ſic phlegmo oriri in membranis cerebri, quæ phreneſis vocatur, vel altera internaq; phlegmo in viſceribus à præcordiis infra. vt pleureſis, periuhmonia & id genus; Quarum origo plerumq; ſunt bilis, atque ſanguis, inſimul efferuefacti: ſecus enim in mitioribus, ac aliis acutis febribus, quæ ortum trahant à mixtione pituitæ, quũ plerumque, nec omnino præter naturam fiant, quoniam ex his hinc inde non male afficiantur membra, neque virtutes noſtri corporis, & ſic proculdubio

dubio ægros à ſęuis accidentibus non moleſtari in dies videmus, eapropter morbi magnitudo metiri, quam optime aduertit Gal. prognoſt. primo. Quare dicendum, quamque febrem cum mixtione pituitæ, ex toto genere ſalubriorem eſſe, niſi ſit, quod rariſſime contingit complicata cum ſenioribus accidentibus, tam quoad longam tēporis dilationem, quam quo ad eius certam ſalutē, ſaluo tamen ne in medicorū inſcitiam ægrotantes deuenerint, ſed non amplius in his immorandum.

Caput XIII.

Ergo cum tria potiſſime aduertenda ſint in febribus, à quibus indicatio ſumi debet, virtus, morbus, & cauſa, ſi hæc inſimul pugnabunt, ſemper præferas indicationem, quæ à viribus ſumi debet, non ablatis, quæ à cauſa, pariter & à febre indicium ſumunt. Quoniam virtus cum ſit primo omnibus dignior, præ omnibus ſe tuendam præſefert, quandoquidem iſta hæc tria ſe inuicem diligenter examinando, duo ſe ſubmouenda eſſe dicunt, quod fieri haudquaquam poteſt, niſi conijcies vires

remedia

remedia tolerare posse: cæterum si virtus paucior quam deceat videbitur, hanc roborare, ac omni industria refocillare opus erit: pariter & si in virium robore permanserit, hanc tuendam esse, vt sit quam forte præsidium ad febrem substinendam. Interdum quamplurimi sint, qui non plane, vt decet, sed festinãter, vt alias signauimus, ad sanguinis missionẽ deueniunt, euacuantque copiose cum maximo, ac euidenti mortis periculo vsque ad animi deliquium. verum ponamus, quòd morbus tali præsidio egeat, tam vt corpus refrigeretur, quam etiam vt humores euacuẽtur, sudores, madoresque à toto excipiantur, extetque maximum continentium febrium remedium, ac etiam morbus, & causa hac venæ sectiore indigeant, repugnantibus, ac existentibus imbecillioribus viribus, præstat ab hac uel penitus abstinere, uel saltem venæ sectionem partiri, ne copiosi sanguinis eductione, quàm ipsi par sit virtus decidat, atque succumbat, inde postero die artificiosè coniectari, an longior uel breuior accessio denuo fiat, intensiorque, aut remissior appareat, ac etiam & si cum tolerantia virtutis, omnia benigniora accedant, pari-

ter & si cõsuetum temporis, ac accessionis circuitum antecedat, & sic distincte omnibus exacta ratione consideratis, possimus vel ab ipsa omnino desistere, vel ad eius reiterationem fore recurrendum, quandoquidem in posse medici reperitur quantitas sangninis euacuandi, quæ tum pulsus tactum, eiusq; motum, qualitatis denique, ac coloris ipsius mutatione metitur. aduertit sane Gal. lib. meth. 10. vt futurus rerum euentus nostro non attribuatur errori, quoniam ipse duos in manibus medicorum perire vidisse fatetur, qui animo ob maximam copiosamque sãguinis missionem delinquẽtes, numquam reuixere, sed de his satis, ac necessario sint dicta.

Caput XIIII.

Cæterum quum corporis præparatio sit in virtute agẽti, ac in passi aptitudine, fit proculdubio, quòd ex multorum hominum cætu sub æstiuo sole degentium vnus, duo, vel plures eorum, sed non omnes in febrem incidere posse, etiam quòd plus ęquo sub ipso diuersentur, ac vno eodemq; met temporis interuallo

uallo ſub eo immorentur. Numquid ſit veriſimile præmiſſa diuerſa corporis præparatione, ac aptitudine ad recipiendum omnes pariformiter febre affici, ceu alias diximus: alioquin ſi non adeſſent in his diuerſus corporis habitus, ac promptitudo, omnes ſimul febricitarent, atque ab aliis etiam æque afficerentur. verum profecto contrariũ apparet, exemplum fingas in aere etiam peſtilenti maxima ac copioſa hominum multitudo verſari, vno quidem die, ac in vna etiam regione, vno eius loco, & eorum aliqua corpora eſſe phletorica, ac variis ſuperfluitatibus plena, prona tamen ex ſe ipſis luem inſpirato aere recipere, reliqua tamen huius cætus corpora, pura ac ſine excrementis permanere, & undique in ipſis apertis meatibus, ac bene tranſpirantibus, nonne manifeſto apparet, quod corpora quæ plena obſtructaque ſint, & citius ſi iis adminiculetur uita ocioſa, multæ crapulæ, ebrietateſque, ac immoderatus ueneris uſus. Ipſi dicimus hæc ſtatim res ex prima aeris inſpiratione putrefieri, ac in labem infici, ſecus à dicta aeris contagione eo modo quo ſignauimus, ipſum attrahendo ac inſpirando, uel nul

lo modo, uel exiguo morbo infici, quæ pura ſint corpora, & præcipue ſi tum in uita ante acta, cum etiam in aliis contrario ſe geſſerint, uidelicet ſi moderatis tum laboribus, ac victu etiam temperato, uſi ſint, & ſic impatibiles fient ab aere peſtilenti, uel facile, quàm paucam noxam ab eo patientur, adeo quòd proſpere ad habitum, ac naturæ recurſum iri aggrediantur, quoniam ex his, ac bono parcoq; uictu numquam ad repletionem deueniri, undique medicorum rationalis ſchola fatetur.

De complicata febre. Cap. XV.

Dicēdum eſt de mixtis febribus, ac earum ſcilicet, quæ plerumq; accidunt, ut ſunt tertiana exquiſita pariter & quartana, quæ & ſi ſimplices ſint, in compoſitas degenerant, & ſic tertiana nimirum continua, cum tertiana intermittente copulatur, & perinde ut illa ſingulis diebus, acceſſionem habet, uerum exacerbatur de tertio, in tertiū diem, differtque etiam à continua putrida intra uenas, per modum gradus acceſſionis, ut quatuor, uel ut tres, uidelicet magis in tertio, quàm præuio

die

die ęgrum affligat, ſecus in continua ſimpliciter capta, quoniam ea ipſa uno eodemq́ue met calore ſemper hominem laceſſitat,atque cruciat, uerum de quotidiana continua cum mixtione alterius febris, nihil dicendum ſit, quoniã ut cognitu ſunt difficillimę,ita in complexu rariſſime reperiũtur, ac eas numquam in praxi me uidiſſe ipſe teſtis ſum. Quartana uero continua cum ſimplici,ac interpollata quartana ſe inuicem implicari ſæpius appa ret, & ſic uno tantum intermittente, ſingulis aliis duobus diebus hominem affligere, ſed in acceſſionalibus diebus moleſtior ſe oſtendit unus quàm ſit reliquus, ut in praxi aduertiſſe ipſe conſcius fateor: ſolertis enim ingenij, prudentis, ac generoſi medici eſt eius curationem aggredi,atq; ratione omnia percurrere, ut fas ſit.

Caput XVI.

Simplicium febrium intermittentium, ac ẽt humoralium compoſitarum implexuum aliqua diximus, ut ſat ſit cuiuis omnes febres bene,ac recte curare, eapropter non opus eſt

omnia ſingulatim percenſere,cum quis poſſit pro humorum diuerſitate,corporis tempera tura,modo, & tempore omnia inueſtigare,ac percurrere, & tandem exacte intelligere,quę ſit in quaque febre recta curandi ratio. Quandoquidem quòd is uel alius humor pręcellat, cuius dominium,& ſubdominium modernio res medici uocant, & ab hoc, ac alio, uel ab omnibus inſimul, ſumi debeat indicatio, omnia hæc fateri nullus ambigit. Quamobrem his cōiunctim,uel ſingulatim perceptis, opus eſt,ut ſimplicium etiam medicamentorum fa cultates agnoſcantur: alioquin ſi inconſidera te pharmaca propinare uelimus,aliū præ alio humore educere continget, & ſic attrahēdo, ſi proprium ſibi humorem non inuenerit, ro rem innatumq́ue ſpiritum cū radicali humo re diſſipat,atq; purgando reſoluit. Quoniam quodque ſimplex,ac compoſitum medicamē tum finem ſuum non fruſtratur,ut plerumq; hæc admoueri uidemus cum ſuſpecta, ac ma xima ęgrorum imbecillitate, cum ex ęquo cō ueniens ſit quamq; febrem uel bilem largio-rem, uel alium humorem habere, & ſic pro humoris exceſſu, medicamenta ipſa uariari debent.

debent. quorum ope alium ſimplicẽ, reliquos vero mixtos, ac copulatos educere quimus. Ipſi dicimus, ac vidimus in optima criſi, quod prȩit concoctio, ſubſequitur vero humorum diſcretio, tandemq́ue ipſorum euacuatio. Ita ex æquo ſi anteit humorũ cognitio, ac eorum præparatio, atque bonorum à malis ſecretio, quàm exactiſſime propinari põt pharmacum, eoſq́ue ipſos humores ſine moleſtia educere, & vltimo omnia ſalubriter euenire, vt criſis cum tolerantia virtutis aliquo modo dici poſſit, & ſic ars naturam imitando, futuram bonam criſim aſpectat, ipſamq́ue paſſim inſequitur, ſed de his hactenus.

Caput XVII.

Eorum qui febricitant, ac rigent, vt in epiala febre, cuius cauſa cum ſit vitreus humor, quem extreme crudum appellare poſſumus, ac pituitȩ frigiditatem humiditatemq́ue excedere, nihil refert ſi libet, hunc humorem aquæ filium appellaſſe, cum nulla ſit de nominibus cura, verum ipſi dicimus, quod hæc ſpecies febris inueniri ac inueſtigari poſſe minime

me credendum ſit,quia faciliter ac indifferẽter ſit ſcribere, quam ex ſcriptis innoteſcere, quæ dicantur, ſtudioſos in his elaborare non conſulo,& quod ſit verum, Gal.de differ.feb. lib.2. exemplo tertianæ febris cum quotidiana continua aſſerit, ex vtriſque mixtione hor rorem minorem eſſe rigore, maioremq́ue fri gore, cum tertiana cum rigore incipiat,quoti diana vero ſine rigore,ac tanto maiorẽ frigore, quanto minor rigore eſt. & ſic extrema in noteſcere in virtute non reponuntur, inferre volẽs horrorem in medio reponi,& ſic febris ſemitertiana denominari, ab re erit in hac tẽpus conterere, ſed ad alias mentem deferre, quarum continuum vſum, ac modum agnoſcendi, in poſterum dicemus,vt ſingulatim ex praxi, ipſis incumbendo fœliciter didicimus.

De erraticis febr. & quartana.
Cap. XVIII.

Erraticę ſiue vagantes febres, planè iam dictis contrariæ ſunt, quoniam inordinatos habent circuitus,cum ſit,quòd neque ſtatum tempus, neque vllum ordinem acceſſionum,

ac remiſſionum obtineant, vt ſunt omnes quę ex atra bili, vel eius mixtione ortum habent, quæ plerumque quartanas inſequuntur; Idcirco patet quod ægrotantes interdum febre vacant, per ſingulos ſex, aut plures dies, demũ febris redit, & ſic vagando durat vſquequo penitus ceſſat, hocque plerumq; contingit tẽpore veris, atque circa principium æſtatis, vel in ipſamet æſtate, quoniã extenuatis iam humoribus ſequitur aliquid ſemper ſenſile effiuere facultate ac vi virtutis expultricis, & tandem ad morbi inclinationem deueniri. Sunt enim hę febres conſimiles quartanis, & tam ob unam eandemq; cauſam ſalubres, quã etiam natura, cum utrarumq; humor ſit idẽ, rebellis, tenax, & à natura concoqui, ac euinci quam difficillime, ac diutine poſſit, & tandem fieri nequit, quin ad longum tempus nõ protrahantur, & ſecundum quòd ope naturæ citius, quàm Medici hæ febres plerumque ſanantur, reſtat quòd accurate, ac diligenti ſolertia curari debeant, & ad tempus ſolum finis ſtatus & ultra principium declinationis apparentis pharmaca moliri debent, & nunquam ante hęc tempora niſi blandis, lenibus,

uel

uel perpulchris medicamentis uti uelitis, quā doquidem sæpissime uidetur ex medicorum ignauia cum fortiter soluentibus, ac scamoneatis, usualibus medicamentis, uerumetiam & aliis calorificis, ac diureticis nostris uocatis serapiis non solum aperiendo, calefaciēdoue febris diminui, sed ex his tum obstructio, cū etiam febris impingitur, ac augetur, & ex simplici una quartana, fiet duplex, & fortior quartana.

Caput XIX.

Quartana enim exquisita, cum sit febris intermittens eo quia de quarto in quartum diem redeat, ac in subiectum hominem renouetur genereturque ex solo atrębilis humore putrescente, restat tamen eius indicia, quàm breuiter recensere, ut omnibus innotescat, quòd ei præ aliis febribus remedia de repente nō dirigantur. Indicia enim, ac principium suæ accessionis sunt inęqualitas pulsus, quæ licet sit communis in omnibus febribus, compareturque fere motui arteriarum in tertianis; uerum in his certò manifestiorem pulsum

ſum in uelocitate, ac frequentia inuenies, quã in quartana, cum in ea ſemper maiorem inæqualitatẽ percipies, & ſic in quartana pulſus erit multo minor in uelocitate & frequentia, quam quis in tertiana continua reperitur. Aliud in quartana primo ſtatim die ſuæ acceſſionis non inuadit cum rigore ueheme͂ti, ſed quam multum ægrotantes frigeſcere uidentur, ac ſi per maximum frigus, ac gelu pertrãſerint, & ſecundum quod hęc febris in ſui particulare tempus augume͂ti propinquior fiet, ita & ipſa progrediente rigor augebitur, inualeſcitque, ac maiorem frigiditatem ægro inducit. Aliud pulſus earum in principio ſuæ acceſſionis ſatis tardi ſunt, ac rari: cum uero augetur febris, ac uiget, pariter & motus arteriarum pulſus in diaſtolẽ eleuatur, & uelociter ac crebrior fit. Aliud longam dicimus eſſe febrem, cum ab æſtiua febre plerumq; ortum habeat, quæ ſi ad autumnũ pertingerit, ægrotantiſq; natura ſit, in qua atra bilis abundat tempus anni inęquale, uidelicet ſi aliquando calor, aliquandoque frigus inceſſanter perdurarint, erraticaſque febres contingenter præcedat, & tandem ſi populariter uagantur,

hye-

hyemalesque fient. Restat plerumque nō alio quam ęstiuo tempore finem suum attingere, ac eo ipso, ęgros tali febre correptos euadere, uerum quo enim tempore homines affligere cęperint, eo tali tempore sui natura, ac motu breuiores fieri, uel penitus desinere par sit. enimuero si hoc tempus pertrāsierint, quod interdū accidere ceu semper apparet, si forte fortuna in inscios medicos inciderint, non solum ad longius tempus protrahuntur, uerumetiam ambiendo pertrāseunt cum euidenti, ac maximo ægrorum uitæ discrimine, quoniam indulgenter tractari debent, idque certo fateri necesse sit.

Caput XX.

Omnium enim febrium tres sunt motus præter naturam, eo quia uel accēditur calor in spiritibus, & tunc unius diei, uel plurium dierum febris dicetur, uel in humoribus, & sic humoralis, seu putrida fiet febris, uel in partibus solidis, & sic hectica nuncupabitur, de qua inferius dicendū repono: febris enim putrida bifariam à Gal. pensitatur, interdum

putrido exiſtente humore extra uenas, interdum & intra uenas, quas putridas omnes uocare quimus, differenteſque inter ſeipſas modo curationis, etiam quod ab una eademque cauſa ortum trahant, ac in ſe inuicem communicentur. Ea propter Gal. nos admonet in tertiana exquiſita non uehemens pharmacũ, neque ſanguinis miſſionẽ procurare, ſed lotium atque ſudorem prouocare affirmat, ſecus in aliis febribus putridis intra uenas, in quibus diſtinctè aduertendum ſit, uel humores ęque putreſcunt, & tunc fit ſynochus putrida, uel unus dumtaxat, & ſic ſiet continua febris, vt puta ſi flaua bilis putrefiat, tertiana continua, uel ardens febris dicetur, & ſic de reliquis, ut sũt quartana intermittẽs, & quartana cõtinua, & ſic de cæteris, in quibus cum ſit differens cauſa tàm quãtitate, quàm etiam qualitate gradus acceſſionis in calore febrili, in prima plus minuſue educere oportet, pro ſumentis habitu, ac uiribus, in reliqua magis ac minus refrigerare, ſecundum quòd ægrotãtes à ſua temperie recedũt. Quandoquidem maior eſt exceſſus frigidę complexionis, ſi ad febrem deuenerit, quàm ſi calidę ſiccęue cõ-

plexionis fuerit æger, & ſic prima febris originem ſecum fert à magna cauſa, ac ſi à pauca in alia febre. Hæc obiter dixiſſe uolui, licet extra ordinem, cum in poſterum de curatione ſit dicendum.

De febre ardenti. Cap. XXI.

Febris ardens, ab ardore ac maximo incendio dicta, quia ortum habet à flaua bili intra uenas putrefacta, quam febrem incenſiuam Arabes vocarunt; nō ęque ut aliæ febres per tempora uniuerſalia currit, ſed plerumq; uelocioris fit motus, decet Medicum eſſe ſollicitum, & feſtinanter ſe ad eius curationem accingere, ne bilis intenſiue excalfacta, ac vt plurimum ſurgens, aliquod principale membrum non rapiat: conſtat enim hunc humorem ſubtiliſſimum eſſe, & naturę fręno indigere, ne agitetur, ac currat, in tantumq́ue naturæ obuiat, atque moleſtus eſt, quod penitus plerumque ab ea ipſa natura derelinquitur, & in eius pugnam cedit; idcirco nō mirum Auicēnam veritatem dicere, quod in materia ſubtili remediis ipſam ingroſsātibus, vti de-

debeamus: verum poſt multa, quæ in curatione recitat, ſequitur; Poſtea digeratur materia, & moneo, vt in digerẽdo eius ſubſtantiã, ac qualitatem conſideres: ſi enim ſubſtantia materię fuerit ſubtilis, quòd ex vrinis ad ſubtilitatis, citrinitatiſque gradum tendentibus agnoſces, per viſus penetrationem in omnes partes vrinæ, tunc procedendum erit cum ingroſſantibus, vz ſiruppo iuiubino violato, boraginatoque: econtra ſi materiæ fuerint groſſæ ſubſtantiæ, cum ſiruppis materiam ſubtiliantibus, ideſt cum oxiſacare, acetoſo ſimplici, reliquiſque diureticis, ac inciſiuis, Auctor eſt fide digniſſimus, & tam in his, quàm aliis ipſum imitari nulli moleſtum ſit.

Caput XXII.

Cauſę cuiuſque febris, quas antiquiores medici primitiuas, antecedentes, atque coniunctas: Moderni autem externas, internaſq; vocarunt, excellentes in genere ſunt humores, ex quibus fit putredo, que licet plerumq; non adhæreat cordi per ſe, ipſi tamen adhæret ob putridam exhalationem, ac effumatio-

nem succeſſiue pertingentē, ac impartitam, & ſic cauſam eius coniūctam dicemus eſſe pu tredinem ex prohibita trāſpiratione, ob quā humores difflari, ac euentari non valeant. Adeo quòd immediatior cauſa & ſine qua nō febris fit. Ipſi dicimus eſſe putredinē cum putrido uapore ad cor, hancq́ue præcedit im pedita tranſpiratio, iſtamue pręit obſtructio, quæ à copioſis ac ingeſtis humoribus intra uenas ortum habet. Itaque ab ultimo ad primum, & ſi plures ſint cauſæ in duas principa- liores redigi poſſunt, ut in pręcedētibus abun de diximus.

Cap. XXIII.

Putrefactionem fieri ab aliena caliditate in humido, ut Ariſt. aſſerit, cuiq; perſpicuū fore arbitramur, affirmans alienam hanc caliditatem eſſe calorem, qui pręter naturam dicitur. Quandoquidem innati caloris eſt concoquere, externi equidem corrumpere, & putrefacere. ſed an per putrefactionem sāguinē etiā putrefieri contingat, ac ex eo febrem gigni, multum ac litigioſe diſceptatur, quoniam à

super-

ſuperuenienti calore extraneo, vt æſtiuo, & id genus, ſanguis tantum caleſit, in epydimica luis, ſeu peſtis conſtitutione, ſed eius ſubſtantia minime putreſit, & nunquam natura patitur tanquam uitæ theſaurus ipſum penitus putreſieri: alioquin omnes homines, qui peſtilentem luem patiantur præſentaneę, ac indubitatę morti æquè ſe pararent, cum interdiu aliquos ſanos eſſe continuo appareat, adhuc etiam, qui ſint ab hac lue euicti. & cum omnibus in confeſſo ſit, conſimilẽ eſſe diariis ſubintrantibus pluribus diebus, quę cum conſiſtant in calefacto nondum putrefacto ſanguine, ſequitur quod ex eius putrefactione febris intra uenas haudquaquã fieri poſſe credamus. fiunt bene febres diuerſarum ſpecierũ, ſecundũ quòd ſãguis mutatur in utramq; bilem, uel in pituitam, Auic. enim has omnes mali moris, uel mites febres uocat, inter ſe diſſidentes malignitate, ac benignitate humorum, quoniam pars eius tenuior, ac ſubtilior in bilem, craſſior uero ac durior, in atram bilem, ſic & uiſcoſior ac tenacior in pituitam degenerant.

Caput XXIIII.

Exemplũ ſumi debet à ſanguine uehemen ter ferueſacto,ac in aliqua corporis parte impacto, quo fit mutatio in atram bilem, vt in carbunculis, & id genus morbo is, in quibus oportet quòd is humor aſſetur, & in hunc vſque modum opus eſt intelligere humorem melancholicum ab atro differentem,tãquam nondum effectus, ſed de proximo inſigniri, & atra bilis fieri,atrumq́ue fęcis vini colorem repręſentans.verum ſi qua datur febris ex sãguine,mitiſſima erit febris: manus enim occurſu, ac ſi in diaria caloris lenitatem deprehendes,quemadmodum iis, qui in ſtufis cernitur: in aliis autem febribus acrior,mordacior, atq; pulſu diurnior calor apparebit, tanto in omnibus ab his differentes, quanto ab his natura, ac motu diſtantes fieri videbuntur. ſic pariter contingit in bubone, ac in ſumma in omni phlegmone, in quo plerumque ſanguis inſimul cum bili efferuefit, adeoquòd copioſa eorum congeſtione in aliqua corporis parte vaſa extenduntur,ut difflari non ualeant,

leant,

leant, quia à natura minime euinci poſſunt, & ſic ultimo corrumpuntur, febremq́ue generant, licet omnium ſint ſimpliciſſima, quoniã sãguine in pus mutato, tum dolor, cum etiam febris illico ceſſare uiſuntur.

Caput XXV.

Rurſus Medici non deſunt, qui nulla cognita febrium ſpecie, cum iam præteriſſet occaſio, ad maximum uitæ diſcrimen ægrotantes deducunt: quoniam tàm in cibo, quàm in reliquis multum aberrant. quamobrem ſicut maximo malo eſt cibus in febribus ex obſtructione, ac phlegmone, uel ut ſemel dicam, in quaque putrida febre, in quibus cibi exhibitio eſt earum nutritio, ita in his qui calida ſiccaue temperatura prędititi ſint, quàm opportunus, ac proficuus extitit cibus, & forte non datur corpus abunde ſiccum & febricitãs, quod uiribus ſit ualentibus, quoniã in hoc ut plurimum ſtomachus eſt bilioſus, imbecillis, atque plus iuſto sẽſilis, ſed quia bilioſis ſit quàm aduerſiſſima inedia, præſto cibandi ſint: quando quidem ſi inediam trãſegiſſent, ſubito prõpti

fient ad febrem ſuſcipiendã, non ſolum ſi proprio temperamento à primo ortu tales ſint, ſed etiam ſi29ilioſo uictu plurima dimotione, cura, triſtitia, uigilia, in regione, ac etiam cœli ſtatu ſimul communicentur. Quippe qui in his corporibus tum ex ortu, cum acquiſita natura prȩditis, non ſolum noxia eſt inedia, ſed ſi quicquam aliud certo pernicioſa, quãdo quidem ex ea in febribus ardentibus incidũt, interdumque in hecticas migrant.

Caput XVI.

Ipſi dicimus, in dies uidiſſe homines ægrotantes, ſqualidos, extenuatos, ac in maciem deductos, qui diatiton uictu uſi ſint. eapropter Gal. aſſerit bilioſos non ſolum cibando eſſe ante acceſſionẽ febris, uel in ipſa inclinare incipienti, ſed etiam in ipſo ſummo uigore. Porrò ad ſermonem ✗ de febribus, ut noſtrum fuit propoſitũ, regredi, ab re non erit, & perſtricte, ac quàm breuiſſime indicationũ, quæ à uipctu ſumuntur, aliqua & quæ neceſſariora dixiſſe, quæ tum ab Hyp. cum etiam à Gal. aph. 1. accuratè recitantur, & primo à morb

on-

constitutione incipiendum est. Qui tum Acutus, Peracutus, Perperacutus, & Longus, ac si quis diceret clarioris doctrinæ gratia, Acutus, Acutior, Acutissimus, ac Longior denominari, in quibus primo pauco, idest tenui, extreme pauco, idest tenuissimo, uel extreme tenuissimo, uidelicet nihil fere dare, ac pleno uictu uti debemus, & ita quibus ex nostris uocatis cibis, uti debeant Medici, est ratione coniectari, & sic de aliis, ut à uirium robore, ac imbecillitate, à tempore tàm morbi, quàm anni, ab ætate, regione, atque consuetudine, tandem cum sint in omni ægro hæc artificiosè spectanda, si tali aduertentia, atque accurato præsidio ægris occurres, nō solum potiorem Medici partem obtinebis, sed Medici natura prudētis nomen acquires, uerumetiā & ægrorum quamplurimos ad sanitatem deduces, cum ex his quamplures sanentur, nisi persistens fuerit constitutio. Reliqua quæ huic sermoni sint conducibilia, habes à Gal. suis locis destituta, & sic largiter, pro tunc sint dicta.

Habi-

De hectica febre. Cap XXVII.

Habitum siue affixum statum febrilem, in subiecto corpore, qui impossibiliter vel quã difficillime tolli potest. Ipsi dicimus esse hecticam febrem, quæ cõtinuo rorem, carnem, durasque corporis solidas partes consumit, ac dissipat, & præcipue post cibum, ac in nocte augmentatur: idcirco Auic. tenet hanc febrem esse continuam, omnes membrorum humiditates depascentem, at prima sui ipsius species erit, si fingas oleum in lucernę lichnio esse ueluti humidum nutrimentale carnosam partem corporis superficialiter circundans. Secundo si fingas oleũ intro exuctum in substantia lichnij, esse ueluti humidum radicale intrinsecatum in substãtia carnosa corporis. Tertiò si fingas oleum incineratum, ac exustum ex flamma continua exuri, ac penitus cõsumi, esse sicut solidę corporis particulæ iam consumptæ, ac labefactæ præuiis tum consumptione roris, cum etiam superficialis humiditatis in corpore, ita ut ex caliditate siccitateue febrili euanescant, ac in halitũ dispergantur,

gantur, ros, & humiditas radicalis superficietenus manens in quaque carnosa parte corporis, eradicata etiam interna humiditate, quæ tum circa fibras membranasque cõtinetur, ultimo partes solidę populãtur, atque cõsumuntur, ita ut in prima secundaue febris hecticę species, humiditas radicalis paulatim, & gradatim contabescit, & annihilatur, & tãdem si siccum humido, calidum uero frigido maxime præualent, introducitur penitus assatio, quæ ad tertiam febris hecticę speciem uiã ducit, & senecta ex morbo nuncupabitur.

Cap. XXVIII.

Cæterum sicut in marasmo de iam completa, nulla adest spes salutis, pariter & in secunda febris hecticę specie neminem saluum me uidisse fateor, coincidunt, ac fere sunt consimiles inter se ipsas, & si Medicorum schola teneat primã esse difficilis cognitionis, facilisq; curationis, econtraue alia secundas species hecticę: sed ipsi dicimus tertiam, ac secũdam facilis cognitionis, sed impossibilis curationis. uerum secundum quod secunda primæ,

uel

uel tertiæ febri magis adhęret, ita tam cognitu, quàm curatu erit facilis, difficilis, uel sine spe curabilis, sed non aduertunt, quæ à Gal. & Auic. respectiue commōstrantur, quoniam quæ sunt à principio difficulter apparentia, ac cognoscibilia, ita & eadem erunt difficillime curabilia, cum ex uno affectu in alium derepente fiat transitus, intelligendo comparatiue hecticam primæ speciei ad alias species, à principio sui ortus in quo pariter cum Medicorum rationalium schola fallimur, quia prima, secundaque difficulter sanari potest, & si secunda cum tertia parum à se inuicē distent, taliterque conformari uisuntur, quod seorsum secerni non possunt, & quia fere in eodē affectu reponuntur, ac etiam parum uel nihil inter se ipsas differunt, sic minime ocurari posse fatemur.

Caput XXIX.

Hectici haudquaquā febricitare se putant quoniam insensilem calorem percipere uisūtur, iam assueti longo temporis progressu febrilem calorem pati, ita tādem ut uniuersum

corpus

corpus in ipſis æque excalfactum appareat: magna enim ex parte ex ardentibus febribus in hecticas fit trangreſſus, adeoq́ue protrahuntur, ut humorem in ſubſtantia cordis detentum abſumant. Ipſi dicimus in ſumma, quòd febris hectica omnes febres ſecum con tinet, quoniam nondum in ſpiritibus, ac hu moribus, uerumetiam in partibus ſolidis con ſiſtit, ac uniformiter, & æqualiter in calore af fligit non intenditur, neque remittitur una die pluſquam reliquo: exigua enim ac ęqualis ſemper perdurat, à primo principio uſque ad ultimum finẽ, licet ut indicauimus poſt cibũ infallibiliter fiat maior alteratio ad caliditaté, ſiccitatemue, & ita craſtinando patitur cor qualiter funiculus lucernæ penitus torrefactus, ãc exuſtus, & ſic pariformiter hanc febrem in marcorem, ac ſenium ex morbo in corporibus deuenire. eapropter in hãc febrẽ manifeſte, ac affatim iflammantur membra à cibo recenter abſumpto, ac vt ab ea eleuẽtur fumi totum corpus incendentes, ac inflammantes, taliter ut maxillę eorum rubeſcere vi deãtur, pari modo ſi cum humidum aqueum calci ſuperaſpergatur, multo calidior apparebit,

bit, à qua enim fumi eleuantur, vt aer etiam ab ipſis calefiat, pariter & cibi humiditas cum adhęret membris, ac corpori calido, etiam ab hac fumi eleuantur, totumq́ue corpus calefieri conſentaneum ſit. Pulſuſq́ue inęqualiter violentari, ac alterari. Auic. enim inquit, quod hæc febris eſt eadẽ ferè cũ diaria ex ira, & męrore, & quod nullus inueniatur, qui præhenſus ſit tali febre, quia natura ſiccior non exiſtat, concomitantibus vita in labore, vigiliis, cura, victu tenui, tum regione, cum tempore, ac anni conſtitutione, quæ ad caliditatẽ ſiccitatemue vergantur iunctiſq́ue aliis huiuſce generis, vt ſunt copioſus vini potus, ac rei venereę vſus.

Caput XXX.

Interdum complicatur putrida febris cum hectica, uerum ſic ut rariſſime contingit, ita & quam difficillime cognoſci poteſt. & certo ſi aliquando putridæ iungatur, & utriuſque nota, ac ſignum differenter appareat, vtique putridę prius incumbẽdũ fore neceſſe ſit, tãquã acutiori, & ad ſummum uigorem illico deuenienti,

nienti, non negle&ta tamẽ he&tica, etiã quod ad longum tempus differatur,& in curatione det inducias. Affatim ipſi dicimus, cum tertiana continua commiſceri, quoniam hæ pari formiter ab una eademq́ue cauſa à primo initio ortum habeant,ut ſunt bilis & reliqua quę ad caliditatem ſiccitatemue dirigantur,ut ſæpius recenſuimus: indicia uero ſi ſimplex marasmodes fuerit febris, uel ut cum tertiana continua ſit iuncta,breuiter diſſeremus.In hectica, oculi erunt concaui, palpebrarum oſſa prominebunt,arida in oculis lippitudo apparebit,ſqualida diſpoſitio,color faciei pallidus, nec uiuidus, frons ſicca, intentaue, tempore collapſa,cutis ut corium arida: hypocundria ad thoracem retracta, demũ corpus nil aliud eſt,quàm oſſa & cutis.uerum ſi hæc exacte nõ appareãt, tãtum diſtat à mixtione ipſius cum tertiana continua, quantum hæc ſigna nullo modo, uel indeficienter apparuerint, ut contingit in præuia diſpoſitione hecticę ſecundæ ſpeciei, ad ingreſſum tertiæ,prudentiſq́ue ac iudicio præditi Medici fuerit hæc omnia inueſtigare, ac innoteſcere,ut ſciat ultimo, quòd in quaque hectica non ſit attendendum euacuationi

cuationi

cuationi humorum, quoniam lęsio reponitur in membris in intemperie positis ob caliditatis siccitatísque excessum, non autem in humoribus, & sic potius adiectione, ac alteratione ad frigidum, & humidum, quam detractione uti indigemus, sic ut in spasmo cnico, recitat Gal. lib. de sang. missione primo.

Caput XXXI.

Cuiusq; febris hecticæ curatio: non solum est difficillima, sed plerumque impossibilis, secundum quod prima à media, & hęc à marcore parum, uel multum distat ipsa qualitate dispositionis in subiecto homine, Gal. meth. lib. 10. inquit. Primum eiusmodi febris propriam partium humiditatem, ex qua nutriuntur depascit, & ipsi dicimus quòd talis febris est, quæ prima in specie connumeratur, ac facillime curari potest, quoniam in insito humore quædam veluti ebullitio efficitur, cum neque facultas, ac uirtus corporis ex hac imbecilles euadant, nisi in imprudentem quempiam Medicum inciderint, sequitur. Hinc uero ad carnosum genus transit, quod circa tum fibras,

tum

tum mēbranas partes ſolidorum corporum hęret, & ipſi dicimus, quod talis febris eſt media, quæ erit quædam conſumptio pręcedente ebullitione, & fit in corporibus ſimilaribus, quæ tēporis progreſſu ſicciora euadunt, ac facultas ipſorum debilitatur, ſecūdū quòd caliditas, ac ſiccitas in his exuperant, unaq; alteri fiet propinquior, ita ſpei uel periculo propior euadet: uerum ſi primæ magis adhęrebit, ac ei propinquior fiet, in ſpe ſanitatis reponitur, ſecus ſi marcori iungetur, ac ei in adhęſu par fiat, periculo propior dicetur, nullamque ferè ſpem ſanitatis obtinebit, ſequitur, ita deinde ipſas ſolidas partes populatur, & in ſenium ex morbo trāſit, & ipſi dicimus, quod hæc eſt ſpecies inſanabilis, licet in omnibus aliqualis ſanandi ſpes ſit, uerum ſi error in vna committitur, is omnem ſpem in earum curatione ſubuertit, Gal. loco iam citato ad uerbum, quippe cum exitialis ſit horum affectus, ne leuiſſimum quidem errorem tolerat, ac ſi quis talium eſt ſeruatus, huic carnoſam portionem maraſmus occupauerat, ipſis uero ſolidis ſiccatis fieri nequit, ut homo prorſus perſanetur, ſed omnino uel ſtatim eum fę

oris ipsa iugulauerit, uel postquam in eum affectum est translata, quem senium ex morbo uocamus, & sic in ultimam morbi ętatem deueniet, quā senilē ac decrepitā eius mortem appellamus, ut inferre uolebat Philippus.

Caput XXXII.

Ipsi dicimus, quod si media febris hectica ob excessū caliditatis, ac siccitatis marasmo febri adhærebit, certè pronior fiet ad perniciē pariformiter ferè, ut tertia Philippi, quam senectam morbi uocat. superficiali enim rore consumpto, etiā quòd intrinseca natiua humiditas in carne absumi incipiat, poterit tamen ad spem salutis reduci, si non multa uel in facto esse eius consumptio apparebit, & exacta ac recta curandi ratio inuestigetur vniuersæ hæ febres, sunt ex earum genere, quę colliquāt, & dispinguuunt, halituosoque uapore dispergunt, exemplo auium uel animalium quæ in craticulis torrentur, quæ quanto magis carne uel adipe abundant, tanto certè ab ipsorū carnibus pinguedo copiosa defluet, ut in dies uideturin carnibus quæ sint adipe,

ac

ac ſubſtantiali etiam earum mole uacua, ac pariter & ſi nulla humiditate prædita ſint nihil ex his defluere uidet̃, ſic & in omnibus qui ab hac magna febre correpti ſint, ſi pleni fuerint carne humida, cum adipis copia, eos ſenſim liquari ac in macilentiam deduci deprehẽdes: ſecus in his qui carnem ſiccam habent, à quibus propter tam innatã, quam acquiſitam ſiccitatem nihil defluet, ac ſi ut carnes quæ ſale fuerint exiccatæ, à quibus nõ ſolum pauxilla uerumetiam nulla liquatio in prunas decidet. hæc enim exempla in medium adduximus, ut ſciant ſtudioſi, quod ſola, ac prima ſpecies febris hecticæ, ſanari poteſt, quum plerumque ex diaria in ardentem, & ex hac in iſtam tranſitum fieri manifeſto appareat, licet ſecunda ſpecies hecticæ ad ſanitatem perduci poſſit, ſi momentaneum per principium huius ſecũdæ ſpeciei fere ſe oſtendat & ſtatus, ac declinatio eius, quam longe ſit a marasmode, uerum in praxi hanc ipſam ſanari poſſe nunquam me uidiſſe ipſe conſcius teſtor, ut in præcedentibus annotauimus, & de his quàm abunde, ac oportune multa huic materiæ conſona dicta ſint.

De pestilenti febre. Cap. XXXIII.

Homines pestilenti febre affecti, tum ob morbi sęuitiem, tum etiam quia ijs adsunt innumera ac perniciosa accidentia, solerti ac natura prudenti indigent Medico : verum quia lente cruciat, urit, ac immediate cordis substantiã inficit, exterius enim ęgrotantes febricitare nõ apparent, licet interius praua, ac occulta mali moris qualitate perturbẽtur. Auic. hanc ipsam febrem, morbum vulgarem appellat, quoniam ex contagio omnes intra homines uagatĩ & ab aere uitiato ac corrupto de regione in regionem successiue impartitur & ortum habet. Non mirum, quum hunc uelimus nolimusve, expiramus ac inspiramus : Aer enim causa est, sine qua nõ tueri sanitas potest. Gal. de Temper. lib. perbelle ostẽdit. inquiẽs, Si aer ambiens à naturali temperatura recedit ad immodicam caliditatis hac humiditatis intemperiem deuenerit, ex hac sui ipsius mutatione, pestilentiam sequi tuto non sit, quoniam omnis ambiẽtis temperies pessima est, quæ ad summam caliditatem & humiditatem

tem versa sit,& ipsi dicimus,quod huius copulatę qualitatis erit putrefacere ac corrumpere tum aerem, cum corpora, verum corpora secundum q͏̄ erunt parum,uel multum plena: pariter nullatenus, uel parum aut multū fiēt prompta ad hanc luem recipiendam, quando quidem nunquam fiet agentis in passum transgressus,nisi sit pręuia corporis aptitudo ad recipiendum,ut alibi indicauimus.

Caput XXXIIII.

Epydimicā constitutio eādem fateri tenemur cum pestilenti morbo, licet sint diuersa quoad quid nominis.febris. n. pestilens quia ab inspiratione pestilentis aeris fit, ac à putrescibili euaporatione uitiatur,unà etiam & humores nostri corporis putridos facit. & sic in genere febrium putridarū eam complecti possumus: parantur enim humores ad putrescendum,quando à prauo, ac vitioso uictu geniti fuerint,ut est uidere sæpius, quod post penurias multa hominum corpora, & præcipue pauperum in hanc febrem incidisse, continuo tamen usu ac commistione malorum

ciborum, ut ſunt legumina, olera, fructus, & id genus uictuum mali chimi, à quibus putredines malignę, ac uenenoſę generantur, quæ ſenſim ac occulte operantur, & mortem inducunt: inficitur enim cor ſęua ac peſſima horum euaporatiore, ipſi pertingenti, quę ad ſymmetriam non euentatione ſua inſita vi expultrici, neque ope artis tolli poteſt, uerum interdum diuinitus propter hominum nefanda ſcelera peſtilentiæ eueniant, quibus grauiter nos caſtigat ac lente & paſſim vndiq; punit; & quod fames, ac peſtis inter ſupplicia Dei connumeranda ſint, nemo inficias ibit. Teſtis eſt Ezechiel Propheta inquiens. Ecce Hyeruſalem, pro eo quod ſanctum meum violaſti in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abhominationibus tuis, ego quoque te confringam, & non parcet oculus meus nec miſerebor, tertia pars tui peſte morietur, & fame abſumetur in medio tui.

Caput XXXV.

Putredinis uero principium multis à cauſis fit, vt ſunt vapores, ac exhalationes quę eleuantur

uantur

uantur à profundis cauernis, cloacis, ſtagnis ac aquis paluſtribus nigris, fuſcis, ac emortuis, multitudo cadauerum non humatorum vt contingit in numeroſo bellorum exercitu, necnon à fœtore aliorum animalium emortuorum, fimo, legumine, & id genus, & ſignanter ſi hęc acciderint in regione calida, ac chimate verſus meridiem, quãdoquidem in hac ſępius nullus adeſt ventorum perflatus, a quo aer nebuloſus, ac groſſus fieri prohibeatur. ad frigiditatem enim ac ſiccitatẽ potius quã ad caliditatem ac humiditatem ſua qualitate infeſtantem uergi debet, inſpirandus tandẽ eſt inuitis etiam nobis, nec vllo modo ipſum fugere quimus, quouis tempore ac præſenti cœli ſtatu ſimus: calor enim natiuus ipſo indiget ad ſui conſeruationem, tanquam immediatior cauſa ſanitatis, ſine quo non primitus nec ad præſens, pariter nec in reliquis temporibus ſanitas manuteneri poteſt. quamobrem maximo præſidio extant, tum ignis, aerem alterando, cum etiam fuga in locum vbi deſtitutus ſit aer purus, ac omni vitio alienus, vt plerunque eſt montuoſus, ac taliter vt vndiq; ipſe à ventis perflari poſſit.

Cap. XXXVI.

Hyppoc.luem, quam pesté ac morbum ab excellentia nos vocamus: quæ totam Greciã inuaserat antequam ex toto in contagium deuenerit, non aliter curauit, quam aeris alteratione, igne per totam Athenarum urbem accenso, quoniam mutato aere in alienam qualitatem ac longè diuersam ab ea quę contagio acceperat, ipsam amplius non inspirarunt, & sani facti sunt. maximo enim extat nulla ratione se induci homines vt pestilenti aere immorentur, nisi uelint præsentaneam mortem præ oculis uidere ac experiri. quapropter ignis, fuga, & quamcitissima aeris mutatio de loco ad locum præstantissima esse remedia, ut suo loco dicendum repono. Gal. de Theri. ad Pisonem lib. eius vsu consulto pro pręseruatione, ne humores inficiantur, ac succesiue à spiritibus, in humoribus, & ex his contagium ad cor non impartiatur. Inquit, Pestis tanquam & ipsa existat quædam belua haud paucos interim, verum ciuitates quoque totas depascens male conficit, quippe

pe praua quædam aeris ad corruptionem prompta mutatio efficit, ut homines quum periculum reſpirationis neceſſitate euitare nequeat, ipſuma erem veluti venenum quoddam ad ſe per os trahunt, & ſic magis oportuniora dicta ſint.

Finis primę partis.



TRACTATVS DE CVRATIONE FEBRIVM.

Secunda Pars.

IO. ANGELI DE CONTECILLIS Medici, ab Aquila.

De Diaria. Caput Primum.



N Diarijs vero febribus, cum sint omnium simplicissimę, breuiores ac sine periculo, cum primum ægrum accedes, non solum fas erit ipsum interrogare, verumetiam & quam necesse, ac blande, omnia percunctare: Nunquid aliqua pręit causa, qua præsens febris ortum habuerit, si qua ęger causa fateatur, iam desinente, ac soluta febre, suo tēporis spatio deuoluto, apprime ad inuestigā-

da

da remedia non te accingas. Quoniam certior iam factus, quæ ſit cauſa febris, primaq; ſui ipſius in totum iam amota cauſa, eiuſque natura optimè penſitata, atque prima acceſſione ceſſante, amplius febris non redibit: ſecus ſi inedia, ſectio uenę, uel pharmacia feſtinanter, ac de repente, ab aliquo vulgari medico, quem empyricum Gal. vocat, propinarentur: ex una enim licet mitiſſima, in alteram maiorem, ac curatu difficiliorem deueniet. Noſtis credimus, ex Gal. Hyppo. poſteriore, diuino accuratoq; ingenio, ac maxima laude digniſſimo: Quod quantum unũquodque à naturali ſtatu recedit, tantum ad morbi magnitudinem ac ſuiipſius ſæuitiem accedit, verum ſi nihil, uel parum in hanc mutationem tam exceſſus, quam receſſus æger deuenerit, nullus certo ſciet qui naturalem ipſius ſtatum non cognouerit, quum potiſſimè in motu arteriarum pariter & in vrinis, quæ colore, contentis, ac ſubſtantia, omnia ferè æqualiter ut in ſanis reponantur, atque conſiſtant. differunt enim ab intermittentibus febribus, ut ſunt tertianæ & quartanæ, in quibus & ſi multum intercidat temporis à fine

primę

primæ acceſſionis,cum principio ſecundę acceſſionis,remanet tamẽ in his aliquod ſignũ inæqualitatis caloris, ſecus in diarijs, in quib. nullum febris ſignum, ceſſante ſua acceſſione remanet: quoniam per inſenſilem euaporationem plerumque finiantur, ac impęrcipibiliter deſinant.

Caput II.

Infallibile ſignum, & febris bonitatem, ac ſuauitatem ſecum ferens, ſunt facilitas ægri in tolerando febrem, ac ſi febricitare nõ percipiat,& quando quidam humidi uapores à toto excipiuntur:ſunt enim plerunque nũcij optimi ſudoris critici, qui copiosè emanari debet, ac tandem ijs exactis cibum offerre tibi moleſtũ non ſit, pariter & uinum bibere, quod qualitatę ac colore inſignitum ſit, vt cap.3.diximus,uerũ qui triſtitia, ira, furore, inedia,motu, ac huiuſmodi cauſis febre uexãtur, & extenuari ac in macilentiam ipſorum corpus deduci commoſtratur, ijs potius acritudo,quam abundantia caloris,ſimul & cauitas oculorum, ac quædam faciei decoloratio

ad plumbeum, siue cinereum colorem uergens, ut in cachesia, palam apparebunt. sunt enim his insimul iunctis, ac perceptis communia, quibus quouis modo studiose ad disciplinam uel aliquam contemplationem diutius mentem deuoluere, ac omnia subtiliter excogitarunt, coincident ferè cum uigilijs, quæ prompta faciunt corpora, ut ad siccitatē deducant. Quamobrem Gal. hos omnes prima earum accessione desinente, in balneum ducendos esse præcipit, quum eius contraria contrarijs admouendo, sit refrigerare pariter & humectare, sit certo per balneum excellenter intelligi, lauacrum aquarum dulcium, quod hodie arte præparatum stufam imitari, ac appellare possumus.

Caput III.

Curatio enim ut morbus amoliatur, eius causa tolli debet, quæ si extra uenas, ut in vijs ductuum pharmacia, iam cachochimicis ac fluidis existentibus corporibus, quoniam quibus lenta pituita in uentriculo est infixa, ijs prius exhibenda sunt, quæcunque hanc disse-
cent

cent,post deinde purgandum.in his vero quę intra uenas sunt, sanguinis missione, ut in plethoricis,uti debemus,nisi alia sint,quæ redarguant:ut sunt puerilis,atque senilis ætas, licet in senibus fallat, qui etsi septuagenarij sint, copioso tamen sanguine repleri possunt, quoniam uinosi, ac ocio degentes interdum permanent,atque etiam virium imbecillitas, & morbus lenis, quoniam in his potius adiectione ac eius refocillatione, quam detractione uti debemus, ocius replendo quod dissipatur, uel insensibiliter euacuatur. leuis enim ac mitis morbus, plerunque cõtingit, ipse per seipsum expurgari, uomitu, sudore, ac excrementis,& id genus, uerum ipse conscius dico, in diaria febre multoties coniectari ex quacunque causa ortum habuerit, præterquam ex cutis stipatione, initio, si deuentum fuerit ad sanguinis missionem præ uia medicorum inscitia, ex die numero, ad menses numeros fieri transgressus,atq; à circumferentia ad centum fieri motus humorũ, sugunt enim uenæ corporis, superfluitates inanitæ, ac uacuæ repletione indigentes, & in tantum non existente maximo uirium

robo-

robore, poſſet ſupprimi uirtus, ac impediri concoctio, atq; ſecretio humorum ad criſim futuram, uel ad longiorem temporis dilationem febris protrahi etiamque cum maximo, vitæ diſcrimine, ad interdiu ad mortis propinationem currere, & ſic ſatis.

Caput IIII.

Maximi ac præſti momenti ſit coniectari tum habitum, quum etiam uires ægrotantis, ut feſtinanter, ac tute in præſidium Medicus animum aduertat. cumque ſit ſæpius in principio morbi occurrendum, quoniam ua lentibus exiſtentibus uiribus, euitare quimus ne ex hac fiat tranſitus in ſynocham non putridam, quandoquidem hæc in illam, iſtave citius, quam ſimplex diaria, in putridam tranſmeari poſſit. Itaque ut ab hac longius diſtet, & ſibi ipſi propior non fiat: Illico ſuccurrendum fore fas erit, ne in præcipitem occaſio. tem caſus fiat. Idcirco ſi adſint tum plenitudo, quo ad vires, quam quo ad uaſa non tantum in facto eſſe, quantum etiam & in fie ri, & præcipuè ſi pariter cum alijs coindican-

tibus

ſibus iungantur, tum uita anteacta, ocium ac crapula, audacter ſanguis eſt mittendus, ſi hanc uenę ſectionem uires, nec ætas redarguant, aſtantis uero ac prudentis Medici erit, quam diligentiſſima ratione ac experientia omnia perpendens, ut mihi ipſi cõſcius ſum, hæc omnia prçcisè contigiſſe, taliter ut in ſanitatem tuto ac fœliciter omnia exegiſſem. ea propter cognito principio ſecundi inſultus febris, tertiũ nõ adiui, ſed quàm ſubito ad ſanguinis miſſionem me accinxi, properante me ad prachſim cum Gal. lib. meth. 9. inquiens. Nam præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre ſectionem iubebis, quanto tũ concoctioni, cum ut excrementa deſcedant, ſatisfacere uidebitur, pariter & cum Auic. nõ fæces ſint retentæ in inteſtinis neque crudi-tas in uentriculo.

Caput V.

Sunt & alij qui febricitant denſitare cutis laſſitudine, frigoreue, & id genus, ut iam in recitato catalogo annotauimus, quibus omnibus cõtrarium ſic tentare ſemper oportet ut

cauſę

cauſę quibus moleſtant̃ impugnemus: ea propterin cutis ſtipatione, quæ plerunq; a diutina æſtus mora, ut contingit in ruſticis tempore meſſiũ, ac in nautis ſub feruenti ſole degentibus, uel lauacro thermarum aluminoſo, atque marino, ortum habeant, præmiſſa corporis purgatione, ac pręuia concoctione, uel ſaltem fœcum ac excrementorum præparatione in vijs latis. hoc ſolo ac ſimplici adminiculo ſæpe ſæpius ægri ad ſanitatem perduci poſſunt, & poſt modum mollibus fricationibus etiam, & quam plurimis, uti oportet, carnemq; oleo imbibere multo ac calidiuſculo, ut ſabino, cuius facultas cum ſit omniũ tenuiſſima pariter, quod ex chamomelo, uel anetho conficitur, perpulchre diſcutit ac rarefacit, & ſignanter ſi hoc ex oliuis maturis bono ac ueteri uſi ſimus. ſed quia quibuſuis cauſis, quæ diariam excitant, hoſtiliter occurrendum, ac ipſis quoquomodo, ac omni ingenio reſiſtendum, ac impugnandum eſt labori, quietem; vigilijs, ſomnum; furori, atque triſtitiæ, animi gaudium, in earum contrarietate ac luctu dimicare, ac obuiam iri. uerum hæc contrarietas potentiſſime ac efficacius

in omnibus ſunt ſermones muſicales, ſpectacula, ſoni, & alia, quibus homines ſpectari ac ſpectatum uenire contingit. blandę ac ſuaues enarrationes, actionesque in honorem homines promouentes, & alia id genus ſecundum hominum Ideam diuerſa cupiendo, ac imaginando.

Caput VI.

Ipſi dicimus quod immediatior, ac potentior cauſa vel contrarietas ac etiam iocũdior erit, quæ à nummis percipi poteſt, cũ intimis cordis uiſceribus citiſſime infigatur, & ſic ipſis tanquam ad præmium ac uirtutis gloriam opulenter iri nulli moleſto ſit. Hæc obiter tum indicia, tum remedia, curationem, ac pecuniarum ſacculum ſat ſit hylariter dixiſſe, & tanquam contrarium ueriſſimum febri, quæ ex aſſidua ac ab abſtracta, medicorum ſpeculatione ortum habet, lubet recitaſſe, licet in hodiernam, & communem opinionem incidamus, longe diuerſam ab antiquis, tum Medicis, tum philoſophis, qui hanc pecuniarum modicam, quam copioſam quantitatem ſpre

uere. quod non mirum, quoniam à magnatu diuitijs, in omnibus alijs, largiter ac copiose uixere, secus mihi ipsi, semper ac quamplurimis etiam alijs, licet sapientibus ac rationalibus, contigisse perspicuum sit. Quum omnes, & in omnibus, nos mendicos, non autem medicos, re vera appellasse, ac fateri necessum sit. Reliqua uerò quæ in tali materia ad propositum & rem faciant, poterint studiosi à Gal. ubique in suis monumentis his febribus destinatis, excerpere, & sic pro tunc, in his quę retro inani, ac uana spe, diximus, sint satis.

Tertianæ exquisitæ ac nothæ curatio. Caput VII.

Hæc febris, quia per circuitum de tertio in tertium diem ægrum infestat, non ab re erit, ipsam primo sub numero febrium inter mittentium collocare. inuadit enim ualido rigore, qui sensiles corporis partes ferit, ac pũgit carnemque lacerat, ac si acus punctione ægrotantes crucientur, taliter quod hoc primum indicium, quia ex primo febris insultu ortum habet, multũ referat recensere. Quan

doquidem ab hoc magis quam aliqua aliarũ febrium certo ſit cognoſcere, licet præcedãt & alia ſigna fortiter concomitantia, ut ſunt numero Pulſus magni, inęquales, crebri, ac inordinati, anni tempus æſtiuum, corporis tẽperies bilioſa, pariter & ętas, regio, ac pręſens ambientis conſtitutio ad caliditatem ſiccitatéq; uergens uita in laboribus, ac uigilijs anteacta, parum, uel nihil comedere, præeuntibus etiam aſſiduis, tum cogitationibus, cum etiam triſtitia, ac mæroribus, ſiti qua ſanus quàm æger maxime exuri fas ſit, anhelatione que frequenti uexatur, ac ſi quis aliquod iter uelociori curſu aggredi coactus ſit: oritur. n. ex bili pura, quæ extra uenas defertur, nulliq; alteri humori permiſcetur, alioquin ſi pituitę copulabitur, aliam ſpeciem febris, quam tertianam notham Medici uocare conſueuere emanabit, & ſic in prima ac puriſſima tertiana, indicatione ſumpta à qualitate humorũ, quoniam calidiſſimus, ac ſicciſſimus exiſtit, quanto magis fieri poteſt, refrigerantibus ac humectantibus, omni uia, omnique ingenio uti oportet.

Caput VIII.

In tertiana enim notha, quoniam à diuersis humoribus ortum trahit: diuersę enim ab ijs indicationes sortiuntur, quandoquidem tum frigefacientibus respectu bilis, tum etiam calefaciētibus respectu pituitæ uti debemus, ut sunt nostri uocati syruppi, qui facultate attenuandi ac incidēdi præditi sint: sed quia inter omnes alios humores bilis leuissimus est, atque sursum tendit, & plerumque ad uentriculum rapit, per uomitum educi debet. si uero ad infernas partes uerget, per inferiorem etiam excretionem educi oportet, atque tandem quo inclinat eo ducere per cōuenientes regiones, inde passim uidetur ꝙ plerunq; sponte in tertianis puris pariter ut in nothis humores ipsi, ac ut febres ipsę ꝑ se ipsas expurgātur, & sic uomitum procurare uel mollibus clysteribus uti conuenit, iuxta coniecturalē motum humorum ad locū, quo natura ipsos decliues facit. uerum enimuero, sicut ratione ac praxi adhiberi potest Cassia cum Rhabarbaro, ut bilis educatur, si natura non integre

mouet, ita & cum his adijci poteſt hyera ſim plex cum agarico, ut humores etiam pituitoſi imbibiti in tunicis, ac concauitate uentriculi purgētur, quoniã certo ſit cum bili portionē etiam pituitę iunctã fore, & ſic tale pharmacũ propinari debere die mitiori, ac quietiori, ut artiſicio ac praxi à ſolerti medico coniectatur, & præcipue quando pituita erit ſub dominio bilis. Præmiſſaque corporis purgatione demum cum potionibus diureticis febrem ſanare oportet, quibus tum ſudo rē, cum lotium, ac menſtruas purgationes prouocare poſſimus, maxime hoc aduertit Gal. lib. ad Glauconem. Pariter etiam & ipſi dicimus vinum concedendum ſola die intermiſſionis, ſed id ſit facultate, ac ſuis conditionibus inſignitum, tum ut concoctionem adiuuet, ac imbecilles vires recuperet, ut alias in præcedentibus præcepimus, cum etiam ſi ſueti ſint ægri uinum bibere, ac ipſum cum uppetitu, ac animo, abſumant ac optent.

Febris

Verum cum Febris tertiana exquisita.

Cap. IX.

Sit inter omnes putridas breuior ac salubrior, sui quoque natura, non habeat septem circuitus pertransire circunscriptione spatio quatuordecim dierum, sicuti in eius accessione etiam tempus ipsius circunscribatur ad summum spatio duodecim horarũ, quantũ bilis ex sui natura secum fert. licet interdiu fallat, ac aliquando in longius tempus ꝓtrahatur, secundum quòd in minus ẽt finiri poteſt, uidelicet craſſitie ac tenuitate, copia ac paucitate humorum uirium robore ac imbecillitate, pariter etſi pura ac exquiſita fuerit bilis, uel aliquo modo, reliquis humoribus adhærens: ea propter quũ de sanguinis miſſione, uehementique pharmaco solutiuo, in tertianis exquiſitis, nihil dicatur à Gal. ac eius dogma imitari quiuis sciat, sequitur ab his penitus abſtinere niſi aliud ſit quod urgeat. Quandocunque enim humores sunt benigni, apti nati, ut a natura poſſint euinci æque ac educi, ipſius beneficio ſtandum erit, ac in futurã eius criſim curationem uertere.

Verum ſi ſimus in cachochimica bilis diſpo-ſitione concoctis ac ſecretis humoribus pharmacum propinari die intermiſſionis ac ante ſeptimam acceſſionē cuiq; perſpicuum ſit, tum ut leuata natura fiat fortior circa re-ſiduum, cum ut febris in acceſſionibus non prorogetur, atque in aliam moleſtiorem lō-gioremque febris ſpeciem uergat; & tandem adhibita dicta natura tunc tutius intendet humoribus, ut a ſe noxia expellat, idcirco ip-ſam in alijs, ac in nullis quomodolibet admo tis defatigari proculdubio non decet.

Febris putridæ continuæ curatio.
Caput X.

Cum hæ febres multum diſtent à natura febrium intermittentium, tam ob locum, & partes in quibus fit putredo, tum quia humo res in his intra, in intermittentibus extra vaſa putrefiant, quam etiam quia putrida febris nunquā ceſſat citra ſpatium uiginti quatuor horarum. cumque huius plerunque ſola me-dietas temporis ab intermittentibus occupa-tur, quoniam hæ ipſæ ſingulis alternis, uel pa

ribus

ribus diebus ad infebricitationem desinant. Putridę uero singulis quotquot diebus ęgros affligant & infestant, desinuntque insensibiliter ad infebricitationem in spatio ut diximus singulis quibusuis diebus, uerumtamen quia impercibiliter à medico capi possunt, has subintrantes febres cum accessionibus denominarũt. Magnæ enim ac laboriosę sunt febres, unde omnibus perspicuum est, tres reponi debere sub genere morborum acutorũ, quorum terminus ac finis plerumque est spatium quatuordecim dierum, licet si auctiores fuerint in septima die terminari possint, ac si ut acutissime in quarta die suum finem trahere queant. Acutas, Peracutas, Perperacutas febres in nomine sortiri possumus. Quarum sæuitiem ad mortem, uel prõptitudinem ad salutem percincte inuestigare ualemus secundum quod accidentia intẽsa, uel remissa, fortiora ac debiliora, maiora ac minora, nobiliora, uel ignobiliora membra occuparint, erunt uel in his reponantur, ut sunt cor, epar, cerebrum, ac reliqua interiora uiscera à quibus in unum, & ab hoc in aliud per cõmunicantiam lęsio impartiri potest.

Cap.

Caput XI.

Cum in ſanguine omnes humores reponantur,& eius minera ſit in epate tanquam à membro mandante per uenas,ipſeue principaliter lædi poſſit,tam a copia humorum,quã etiam ab earum qualitate in intemperie poſitorum : ab eo etenim primo ſumi debet indicatio in quid agendum , vt quamprimum cauſa febris tolli poſſit. Idcirco ſimul iunctis, tum ætas,quum uirium robur, feſtinanter ad ſanguinis miſſionem deueniri fas erit , & hoc ferè faciundum non ſolum in principio morbi, vt ipſe amoueatur : verum enimuero vt futurus magnus non fiat, quoniam plerunq; tunc temporis uires ſunt ualidiores , & perquam ſit ſęuior morbus unà ſimul cum accidentibus pernicioſis , raro vel nunquam ſit caſus uirtutis in priucipio , & ſic rariſſime fugiet occaſio,quin ſanguinem mittere non poſſimus. Maximum, ac ſaluberrimum continentium febrium remedium, quod tum ratione quum etiam experientia didicimus:leuata.n. quæ corpus noſtrum regit natura, exonera-

taque eo quo ueluti ſarcina premitur, haud ægre quod reliquum eſt uincet. Itaq; proprij muneris haud oblita concoquet quod concoqui eſt habile, & excernet quod poteſt excerni, Hęc Gal. Meth. lib. 10. ueruntamen quia uires ægrotantis ſunt potiſſimę conſiderationis, in quibus perſpicaci acutiſſimoque ingenio medici attentum eſſe par ſit, idcirco nos decet, ut idem met Gal. loco pręallegato, hæc ipſa aduertere recitat. optimum igitur factu eſt, ut nos ſemper in re quaque facere vidiſti ſtatim non numero dierum, ſed tantum virium robori attentum eſſe. Quippe qui ſi ſeruatum eſt, non ſolum ſexto, ſeptimoue, ſed etiam ſequentibus diebus ſanguis eſt mittendus, ut ſcias ceſſante hoc maximo præſidio ſanguinis euacuandi, ſolum reſtat in his febribus ad mortis pronoſticum plerunque accedere.

Caput XII.

Verum quod hęc uel alia uena ſit ſecanda, licet omnes à toto euacuent, hoc magni refert. Quoniam baſis, & quæ immediate, ac

de

de propinquo ab epate euacuat,ſunt interna, uel communis uena,quam baſilicã,& epaticã ſiue iecorariam moderniores practicantes uocant: eaque in ſectione his febribus nos continuo vtimur. verum hac non apparẽte, mediam ſecare debemus,illamque iam dictam communem appellamus,ac etiam ſecũdum rectitudinem cataypſim ſeruando, vt Hippo.docet, ipſam brachij dexteri venam ſecare debemus, ut abunde ipſi præcepimus noſtro libello de ſectione venæ: præſto enim ſit ſcire omnia quæ hanc redarguant, ut pluribus deſtinauimus in locis, ac ſtudioſos decet ibi mentem ac memoriam abducere,ac reuocare. Quandoquidem quæ ad ſanitatem maximo momento ſint, optimi ac generoſi medici eſt, ne in lapſum præcipitanter quis incurrat,ſæpe ſæpius oportuna recenſere, vt metiri poſſit quantitas ſanguiniseducendi) omni induſtria, totisq; ingenij viribus, ne ob copioſam ſanguinis miſſionem in uirium proſternationem ac animi deliquium,quis non incidat,quandoquidem ad præſentaneam mortem quum etiam ad extremam ſanguinis inodiam deueniri poſſunt ægrotantes, ut am-

plius

plius ad priſtinum reduci non poſſint,& ſic ui
tam maximo infortunio tranſeundo ac ſeip-
ſos cruciando ſingulis quibuſuis diebus, uitã
in mortem tranſmutare optant,ac precantur
cum maximo medicorum pudore.

Caput XIII.

In omni febre ratione,qua febris eſt, opus
ſit uti refrigerantibus pariter ac humectanti
bus,ut ad epycraſim,& ſymmetriam humo-
res reducantur. Quandoquidem ſi naturalẽ
temperiem non excedet, utique febris non
fiet,& ſic tam exterius, quam interius ada-
ptari debent ea,quæ tali contrarietate prædi
ta ſint, cum uictus humidus febricitantibus
omnibus conferre Hypp. doceat, potiſſimũ
autem pueris, & alijs qui ita cibari ſint ſueti:
ſed quia in his febribus humoralibus, nun-
quam adeſt exceſſus caliditatis, ſiccitatisve
ſine materia,hęc neceſſario debet educi,ut ip
ſa amota pariter et qualitas plerunq; ab ipſa
dependente amoueatur,quamobrem ſimpli
citer dicendum in nuda qualitate ſine mate-
ria,ſola eius contrarietate uti neceſſum ſit mi
nime

nime neglecto ſcopo in reliquis alias cætera adminiſtrata cauſę, ac febrium auctioni deſeruirent. natura enim per Gal. nihil aliud notatur, quam ſubſtantia quatuor qualitatum, in temperie, ac uniformi earum conſonantia ſitarũ, quam ſanam cõplexionem Auic. uocat, idcirco octo ſunt temperies malæ, quarum quatuor ſunt ſimplices, ut caliditas, frigiditas, ſiccitas, humiditasque: quatuorve compoſitæ, ut caliditas & ſiccitas, & ſic de reliquis, à quibus indicatio curationis ſumi debet, tum ſimplex, tum compoſita, in cõtrarietate qualitatum. Reliqua enim ſuccincte ac artificioſa in omnibus circumſpecta conſideratione cõiectare, ut ratione ac experientia deceant reliqua huic negocio oportuna propinari.

Caput XIIII.

In omni praxi, ac longa experientia comprobatum inuenimus, tutius ac maxime proficuum ſit, uentrem potius caſſia, quam mollibus clyſteribus quibus paſſim utimur exinanire, quoniam ex hac uel alijs id genus lenſẽtibus medicamentis minor fit matetia, & tan

dem

dem natura leuata, in residuum insurgit impugnatque animose, ut ex toto uictrix remaneat, à uentriculo enim ad intestina per secessum educit: secus enim fit à nostris uocatis lenietibus, uel communibus clysteribus, quoniam sua facultate intestinorum situm ut à uentriculo educant, pertransire non habeant. aliud superueniente sanguinis missione, pręcedente pharmaco lenitiuo, ut nobis continui est usus, minor fiet attractio à circũferentia ad centrum, maiori tamen materia pluribusque corporis partibus purgatis quã à clystere, & sic euitabimus quod venæ existẽtes sanguine inanitæ, ita de facili non poterunt alias corporis superfluitates sugere, sed tum ut earum alterationi tum etiam ad resistendum putredini animum aduertamus, exactæ consideratis quę per os sumuntur, unà quibusuis alijs quæ exterius admouentur. nostris simplicibus vocatis serapijs uti debemus, videlicet, Cicorijs, lupulorum, endiuiæ, fumariæ, acetosę, iunctis decoctionibus ex eisdem factis, colatis, ac per residentiam depuratis, & si tibi animo sit somnum reconciliare, præstat decoquendo miscere semina com

munia

munia frigidiora maiora, & præcipuè melonis: prꝫsto enim acituto uti poteſt aqua hordei, refrigerat pariter & abſtergit, ac nullam te restreitatis portionem ſecum obtinet, ut in reliquis decoctionibus ac alembiccatis aquis euidenter apparet. Potiora enim quæ alterant ad frigidum pariter & putredini reſiſtunt, ſunt ſerapia de acredine citri, de aceto ſa, acetoſus ſimplex, oxi ſachar, ac etiam vinum granatorum & id genus, tam ſerapiorũ, quam etiam decoctionum ſimpliciũ, quæ ad hanc intentionem dirigantur. Verum ſingula huic materiæ conducentia recenſere par erit ac ſi quis omiſſa ratione ſolam praxim ipſi edocere velimus. Sed non amplius.

Caput XV.

Aliud indubie, ac neceſſariò aduertẽdum ſit, quod in his febribus diureticis, neque localibus exterius admotis medicamẽtis corpore non exiſtente purgato, uti non debemus, quum ſemper hꝫ febres ortum habeant ab obſtructione iecinoris, à qua putredo inſequitur, & fit febris: uerum ſi ipſis liberandis

attendes

attendes priusquam superuacua non purgaris, certo ipsas magis impingues ac augeas, calorifica enim sunt, licet ex his in gradu caloris remissiora inueneris, cum natura in his attrahendi facultas sit, ita vt humores attenuẽtur, & sic apertis meatibus cursim obstructioni iungantur, adeo quod necesse sit tum putredinem quum febrem augere. Gal. Meth. lib. 10. inquit, si his auxilijs quæ obstructiones eximant uti non uacuata prius abundantia uelimus, fore ut non modo nihil proficiamus, sed etiã affectum maiorem reddamus. Pariter & relaxantibus medicamentis deforis minime utendum fore, ex Gal. Historia Meth. lib. 11. Cum incidissent duo ęgri diues ac nobilis vnus, Alter vero pauper, & quiq; in præcordijs, ac uisceribus phlegmone uexati. Is qui pauper erat, tam animo præditus quam etiam quia in optimum medicum incidisset, statim secta vena, cum reliquis tum purgatione quam etiam diuersione recta ratione admotis à tali morbo euasit. Alter autem diues ac timore percitus, cum in inscium, blandum, ac adulatorem medicum forte fortuna incidisset, subito ac sæpesæpius a-

motis localibus, ac relaxantibus cataplaſma-tis ac perfuſionibus in præcordiorum parte affecta, in maiorem phlegmonem ac febris auctionem deuenit,quod tandem obiuit. Ad-uertit hoc Gal. Meth.lib.9. Tubans.Ego ve-ro nec eorum quenquam, qui ex putreſcēte humore febricitant lauem,nec cataplaſmatis relaxantibus priuſquam ſuperuacua purga-rim vtar, his vacuatis non ſolum audacter la-uem, ſed etiam cataplaſmatis utar in alijs qui-dem membris ijs quæ relaxent,ſuper iecino-re vero ac uentriculo additis etiam ijs quæ mediocriter adſtringant. Ipſi dicimus, hæc in medicorum mentem uelle excudere, ac re-citare ut ſciant rectè,ac ſanctè mederi, & nō claudicando, ut aliquid feciſſe videantur, in ęgris mortem inferre: hi enim nihil mihi a carnificibus differre uidentur,ut ſunt uulga-res medici,qui tum empiricam ſectam imitā-tur, quum etiam ſint ſub malo præceptore educati, non ſolum neſciunt, immo ſcire ſe putant,& ſic in omne ignorantiæ genus ca-dunt, à quo recedere nolunt,nec poſſunt.

Cap.

Caput XVI.

Vbi autem quæ obſtruunt, diſſecta ac attenuata ſint, quod cognoſci habet urina nondũ ſubtili, tenui, diaphana ac tranſparenti, ut prius præcedentibus obſtructionibus palãq; in febribus apparebat, ſed aliquanto craſſior ac turbidior apparet, denotans naturam iam agreſſuram concoctionem eos qui reſtant humores tentare uacuandum eſſe tum per urinas, tum per ſudores, & tunc noſtris uocatis ſerapijs uti neceſſe ſit videlicet, biſantino de radicibus cum & ſine aceto, ſecundum ꝙ magis ac minus aperire uidebitur, & ſic de ſingulis, uerumetiam vt purgatio per pharmacum ſuum ſortiatur effectum, nihil tutius, ac præſtantius uti poteſt diluto Rhabarbaro cũ Caſſia: præſtat enim hæc reiteratione ſupplere iudicio Medici, ſumentisque habitu, ac uiribus, & ſic ex indicijs, cauſam curationẽq; putridarum febrium, quinetiam & uictum inſtituendum inuenire poſſimus, ut ſunt panis lotus ex aqua, ptiſanaque hordeacea, quæ omnium ciborum in febribus præſtantior ſe

ostendit, cum secum ferat multa, ac potiora emolumenta, refrigerãdo, ac etiam somnum conciliando, Pullorum graciliorum brodij pa rum saliti, cum quibus si borago, acetosa, endiuia bullierint, pariter & pruna damascena, ac etiam & succus aranciorum atque uinum granatorum misceantur, maximo erit commodo, à vino penitus abstinendum, & si quã pauciferum & aquosum ac in fine status morbi, ac tota eius declinatione adhiberi possit. Potus sit decotta aqua hordei in omnibus preuijs morbi temporibus.

Complicatæ febris curatio. Cap. XXVII.

In mixtis febribus, mixti sunt humores, & sic quia copulatas faciunt indicationes, ut recte eas curare possimus, copulata deniq; sunt inuestiganda remedia. uerum quia hæ febres non æque simplicem curationem exigent, quoniam pro uiribus constat quam difficillimè cognitu esse, & sic ipsi dicimus, quanta ex accidentibus, qualisve ex humoribus sit febris, optime metiri debere. Quandoquidem ex accidentibus aliqua sunt sæua ac pernicio-

ſa,aliqua mitiora,ſanioraque ſæua ſunt,quando aliquod principale membrum offendunt, taliter quod licet natura omni conatu cõtra ipſa inſurgat, ab ipſa tamen euinci non poſſunt.ea propter ab ijs uirtutis caſum mortemque portendere poſſimus, uerum & fortius, ſi læſio iuncta ſit , in nobiliorem , ut diximus partem,ut puta ſi ad caput uergent , & maligna ac ferè peſtilenti , uel uenenoſa humorũ exhalatione membra huiuſmodi inficiet , & ſic fient phrenesis uera, uel falſa, dolor capitis continuus, in eius uentriculi ſubſtantia cõfirmatus,animi deliquium,quod proxime ac immediate ortum habet læſo corde, licet ẽt à ventriculo impartiri poſſit, quum in aliquibus admodum ſenſile appareat, ut illico proni fient, vt in his virtus cadat . Mitiora enim ſymptomata ſunt multum ab his diuerſa , ut ſunt exempla ſitis, aliqualis appetitus deiectio, inquietudoque, uel horum ſimilia , quæ a natura pariter & medico, plerunque in nihilum tranſeunt , atque rediguntur.

Cap. XVIII.

Quis ex utraque bili humor exuperanter in implexu febrium ſit, flauus ne, an ater, uel pituita, quam ſit neceſſe a Medico hoc enanciſci, nulli dubium, ut ſciat à quo primo aggrediendа curatio ſit, licet quæ alia in hac parte contemplari oporteat, ſint ægri temperies, ætas, anni tempus, ac reliqua huiuſce, quæ ſuper dominium humoris deteſtari poſſunt, quandoquidem ſecundũ quod diuerſæ ſunt ætates in annis numero, ita & diuerſæ ſunt aeris conſtitutiones in anni temporibus, pariter & in reliquis, ſi exacte percipiãtur, quoniam ſecundum quòd iuuentus, æſtas, ac acquiſita etiam tẽperies, calida ſiccave, arguunt ſupra bilim, ita & ætas, conſiſtentiæ hyems, temperies frigida, humidaque ſuper pituitã, ſiue ſint hęc natura, ſiue exterius acquiſita, pariformiter & ætas ſenilis, autumnus, ac corporis temperies frigida, ſiccave, & id genus, ſuper atram bilim deteſtantur, ita ut his omnibus, uel horum quamplurimis exacte perceptis deueniendum ſit ad venę ſectionẽ, verum cum maxima præmeditatione faciundum

dum. quoniam ſi ex indicijs iam recitatis accidentia ortum habuerint à bili, ac ſimul, ut plerunque contingit, cum ſanguine excalfacto, ad dexterę venę ſectionem baſilicę mentem dirigere oportet, ſic & ſi atra bilis in peccato fuerit, & pręcipue ſi iuncta ſit lienis tumefactio, ſiniſtri brachij baſilica, vel alia quã ſaluatellam & anularem Arabes vocant, ſecãda uenit. enim uero quia ſanguinis miſſio ex accidenti refrigerat, ſit dubium an ea opus ſit uti excedente humore pituitoſo una cum alijs a ſub dominio, at mihi ipſi multoties euenire has febres ex humorum copulatione terminari ĩ ſubeth, et ſic in ancipite fugiet occaſio in quid agendum in vniuerſali hac euacuatione. Ipſi dici mus, hac inceſſanter duplici ac efficaci ratione uti debere, tũ quia ut alij ſimul iuncti humores cum pituita euacuentur, quumetiam vt ad huiuſmodi magnitudinẽ pari mo do relationẽ habeamus, in quibus Medicorum ſchola rationalis conſentire omnibus ſit perſpicuum, niſi ſint & alia quæ redarguant, interq; plerunque ſit uirium imbecillitas, cum pręcedit mala criſis per abſceſſum ad ſubeth terminata.

Caput XIX.

In alijs remedijs propinandis, quę tam magistrali aliqua decoctione ad alteratione͂, quu͂ etiam ad humorum dissecationem ac attenuationem dirigi debeant, restat quam breuiter aliqua dicere, ut nil desit omnia, uel plura recensere, quæ ad earum curationem necessaria sint. Idcirco præmissa vniuersali humorum euacuatione, quę fit per uenæ sectionem, iam humores restant præparandi, quoniam cum quis corpora purgare uoluerit, oportet fluida facere, quæ præstant nostra uocata serapia, quorum usus præsto sit vnius, uel alterius in maiori minorique dosi, secundum quod bilis utraque, uel pituita magis uel minus excedet, videlicet in flaua, is qui de cicorea, de endiuia, quam intibum satiuum moderniores appellant, de acetosa, de granatis. In atra is qui de fumoterra simplex, uel co͂positus, iufusio senæ, quem siruppum de sena Brassaulus uocitat, de pomis, de polipodio. In pituita oximel simplex compositumque rhodomel, de absynthio, de stycados, & sic de singulis

gulis. Adeo quòd his præeuntib. ſperanda ſit eorum concoctio, & tunc pharmaco medicari, videlicet in bili, caſſia diluto Rhabarbaro, ſerapio roſato ſolutiuo, manna, mirab. citrinis, electuario ſucci roſarum Diacattol. In atra, confectione hamech electuario indo, triphera perſica ſenę infuſione, uel ea ipſa pręparata, mirab. indis, Polipodio, epythimo. In pituita Diaphinic. Diacatt. Agarico, mirab. chebulis, & ſic de ſingulis medicamentis, quæ ſingulos humores educere habeant, uerum tuto ac ſine moleſtia inter reliqua propinari debent Rhabarbarum tam ſubſtãtia quã infuſione præparatum, aloe, manna, diap. vterque, & tandem hęc ſylua omnibus, tam ratione, quam praxi, pari modo conuenire aſſentimur, & ſatis ſint enarrata.

Erraticarum quartanarum febr. curatio. Cap. XX.

Erraticæ, ſiue vagantes febres, ideo dictæ quia uaganter, ac in diuerſis periodis temporibusque recedunt, ac renouantur, nullumq; ſtatum tempus noui ſui inſultus tenent, ut cõ

tingit

tingit in omnibus alijs febribus, ſolent plerun que ex ſui natura in longum tempus protrahi, tum quia à pituita, quum etiam plerumque ab atra bili ortum habeant. quibus putre factis intra uenas, unà miſcentur quotidiana continua, cum quartana, quarum uterque humor tam ratione qualitatis, quam etiam quantitatis longitudinem portendit, & inde in humore longiores ſunt ceſſationes, & nunquam earum intermiſſio exquiſitę pura uidetur. Quartana enim, quia erraticas plerumque febres præit, longior fit, ac etiam cũ ægri periculo, uerum magis ſim ætatis ac etiam uirium imbeccillitate poſita fuerit: mixta enim cum quotidiana ſit lõgiſſima, quum uterque humor ex ſe diutius protrahitur. In curatione ferè coincidunt cum quartana, & primum ac pręcipuum requiſitum eſt quod leniter tractari debent, aliàs ſi medicamentis, uel alio quouis modo, ac ingenio ipſas irritabis, fortè ex una plures, ac acutiores febres fient, & in anticipatione temporis ſui inſultus citius ac vehementius inſurgent, atque moleſtiores erunt. Ea propter pręmiſſa ac ſæpius reiterata, ut decet, leui corporis purgatione,

vt ea ipſa paulatine, & per temporis interual lum fiet minor humorum congeſtio, ad ſan-guinis miſſionem deueniendum ſit, omnibus optime ac exacte perſpectis, ut alibi præcepi mus. uerum quum ſæpius maior ſit portio atrębilis, à qua inſequuntur inflammatio, ac etiam obſtructio lienis, baſilica ſiniſtri brachij incidi debet. quantitas uero ſanguinis edu-cendi ſit in proportione habitus, ac uirium ægrotantis.

Caput XXI.

Reſtaurata uirtute intercapedine unius in aliud temporis ſpatium, quum natura ſaltum atq; repentinas euacuationes non ſubſtineat, opus eſt denuo uti noſtris uocatis ſerapijs, quæ tum ad pituitam, tum ad atram bilem di rigantur, & ſic diſſectis ac attenuatis humori bus, quam humorum præparationem hodie medici vocant, pharmacum reiterari debet, quorum quam etiam ſerapiorum catalogum habes à tergo licet à Meſue ac alijs Arabicā ſcholā ſectantibus in diuturnis febribus ſint laudibiliores, ac maximi uſus pilulæ, quas era

dicatiuas

dicatiuas medicinas uocarunt,& hæ ipſę cum ſint plures numero,& unum aliumque humorem aptenate ſint magis, ac minus educere inter cęteras pręſtabiliores ſunt pilulę aggregatiuæ,fumoterræ, indæ,arabicæ,hyeracum agarico ac Rhab. in quibus cum diuerſa ſint ſimplicia ingredientia ſolutiua, non mirum ſi diuerſos humores educere ſint apta , atque diu immorentur in uentriculo , ut a longinquis partibus attrahant. Sed ſilentio non trāſeamus aliqua dicere de hyera Picra Themiſoni attributa,cuius compoſitionem ac facultatem recitat Gal. meth.lib.7. quæ ut magis confortet quam educat, ex aloe eloto parari debet, & ſic ſtomacho familiariſſimum medicamentum extabit, ac ſine moleſtia humores imbibitos in ſubſtantia,tunicis ac concauitate ventriculi optime educet. econtra ſi ex aloe non eloto parabitur. uerumtamen cū in his febribus plerunque adſit appetitus corruptus ob copiam humorum extra, intraq; uaſa , detentorum , ut in ventriculo , ac uenis, ſæpius & leniter purgare fas ſit:quandoquidē non pura corpora quanto plus nutries tanto magis lædes,& ſic ne ex paulatina congeſtione

gestione humores adaptari minime possint in ventriculo, sæpius opus sit eoipso sacro pharmaco vti, verum si rhabarbarum ac agaricũ iniungantur, id ipsum præstantius erit.

Caput XXII.

Interdum in his febribus magnæ adsunt tam lienis, quam etiam epatis obstructiones, quibus reserantur spiritus, vt euentari, ac difflari minime possint, & ita non mirum, si hæ febres diu prorogatur, quando quidem stãte causa semper stat effectus, insequens ex causa. Idcirco præuijs quę retro locauimus, recta ratione uti possumus nostris uocatis trocischis, à quibus aperiendi pariter ac educendi, spem sortiri valemus, ut sunt de rhabarbaro, de absynthio, de capparibus, de eupatorio, & sic de singulis, quorum compositionem vsum ac facultatem habes à Mesue. Ea propter ipsi dicimus, ac studiosos hortamur, ut in similibus fœliciter mihi ipsi euenisse, ita etiam & uobis fortunate euenire, secundum istam formam remedia præparare, videlicet, vti serapio de cicorea cum rhab. bisantino.

D. Auguſtini, de polipodio, cumque deco-
lata, depurataque citrach. eupatorij, cicorij,
fumariæ, florum bugloſſæ, boraginis, uiolarũ
ac etiam in fine addere ſenæ parum, & ex his
formari potus, pariter & uti infuſione ſenæ,
epythimi, atque polipodij, quæ omnia cum le
niter ac paulatine noxios humores educant
à cæteris abſtinendum fore arbitramur, alias
ſi uidebitur recurras hæc reiterando, uel ad
alia quæ in ſylua recenſuimus. nolumus o-
mittere ſi capiantur mirab. citrinorum, indo-
rum, chebulorum ſingulorum, drachma vna
ſpecierum diaturbith, agarici pręparati, pilu-
larum arabicarum, ſenę præparatæ, rhabarba
ri, ſingulorum ſcropuli quatuor, & cum elet-
tuario roſato reformari maſſa, cuius tres pilu
læ capi debent, ſingulis duabus in ſeptem die
bus uicibus, ſumptam indicatione à ſumẽtis
habitu, ac uiribus, ipſe ſum autor, & pilulas
diacontecilli uocari.

Caput XXIII.

Cum omnium malorum lacuna ſit ſtoma-
chus, eoque imbecilli indigeſtio oriatur, ac
etiam

etiam humorum cruditas copiosique humoris pituitosi congestio coaptetur: quem si purgare uelimus, uomitum procurare, & à cibo ipso pleno tam à nobis quam alijs semper præsentaneum remedium extitit, ac à ratione minime alienum, cum aliunde atque conuenientius os stomachi purgari non possit, uerum nobis assidui fuit usus aqua uitis cum serapio acido & si fortiori uomitiuo uti velitis, propinetur aqua tepida in qua bullierit hellebori albi paruum frustum, tandẽ hoc adhibito præsidio statim ęgrum in melius destinauimus, ipsumque in febrem mitiorem ac pauciorem redegimus, ac ultimo in residuũ humoris diaphoretice euacuando, intrepide aggressi simus, capiendo antidoti theriaces dragmas duas, zinziberis scropulos duos, pirethri, piperis longi, singulorum scropulum semis aquæ vitis unciam semis hancque formatam potionem cum aruisio, phalerno, alioque etiam potenti vino secundum regionem quod præ manibus haberi poteſt calide propinare fas eſt. sed quam diligentissime aduertendum hanc ipsam admouendam esse in augmento paroxismi, ac pręmissis fricationibus

deorsum

deorſum,& quam ſubito bene ſtragulis ægrũ cooperire ut ſudet, ipſe ſum auctor, & potio nem diacontecilli denominarę volumus, ac etiam Deum teſtor optime ac fœliciter in omnibus ęgris,ſi ea qua decet ratione admoueatur,experiri, ac eorum quamplurimos à morbo euaſiſſe, licet hęc omnia ſint reiteranda ſumptis indicationibus à lædentibus, ac iuuantibus,atque etiam habitu ac uiribus exacte ponderatis, & ſic abunde.

Ardentis febris curatio. Cap. XXIIII.

Hæc febris cum ſit omnium continuarum calidiſſima,quia ex pura bili intra uenas putrefacta ortum trahit calidiſſimus ſicciſſimus que humor exiſtat, etiam & remedia quæ in curatione propinari debent, adhuc frigidiſſima adaptari par ſit, vt in poſterum dicemus: indicia enim quod bilis in his vehementius incaleſcat ac furioſe agitetur in uaſis, unà cũ ſanguine ſunt lingua aſpera,arida, & nigra,ac in multas partes ſciſſa, & diuiſa, ſitis intolerabilis, longæ, ac maximæ vigilię, alui excrementa liquida,& flaua, corporis atque faciei

extenuatio

extenuatio, nõnunquam etiam delirium. Ea propter ætate, uirium robore, ac tẽpore morbi, consentientibus, confestim ac initio uenã incidere oportet. Quandoquidem in ardentissimis febribus si usque ad animi defectum exclusiue sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, febris extinguitur, plurimis etiam aluus citatur, & sudores manan. Hæc Gal. Meth. lib. 9. Et sequitur continentium febriũ duo maxima remedia sunt. Sanguinis missio & potio frigida: uerum hæc nullo non tempore, modo uires substineant, fieri debet, sed hæc cum & in pulsu, ac vrinis euidentes cernantur notæ coctionis, febris autem sit maxima, sed certo multum refert, quod frigidæ potioni sit assuetus æger, & ipsi dicimus quod maxima ac accurata præmeditatione hoc faciundum sit: quandoquidem solum exhibenda sit potio frigida quantum vno haustu bibi potest, facile noxam iri ratus, ac à iuuantibus ipsam reiterare, si opus erit, & in statu morbi ac in vigore accessionis calore iam per uniuersum corpus expanso, ut residuum caloris præter naturam internę adhęrẽtis prorsus extinguatur. alias si in principio

accessionis frigida potio adhibeatur, igneus calor in interna uiscera repercussus uehementiori incendio excitabitur, & tandem maior affectus reddetur. In summo detestanda sunt in febribus ardentibus omnia refrigerantia, tam si exterius, quam si interius admoueãtur in principio ac augmento accessionum, quæ cum sint tempora particularia cuiusque accessionis, a medico necessario cognosci debent, ut ijs præeuntibus uigor particularis accessionis, quo tempore febrilis calor fit paucior, ac disunitur agnoscatur, & tandem ut extingui possit, hæc lubuit aduertisse, ne inconsiderate ad frigidam potionem quis incurrat, cum maximo, ac euidenti ægrorum uitæ periculo.

Caput XXV.

Cæterum in ardenti febre horum alterũ fieri necesse est, uel quo natura vergit biliosos humores educere, & hoc fortasse melius, ac tutius experiri potest, uel eius intensum calorẽ aquæ frigidæ exhibitione extinguere, quandoquidem remota causa, id quod ex ea sequitur etiam tolletur. uerum, ut bilis refrenetur

minoretur

minoreturque continui vſus fuit Caſſia Diapr. vtrũq; Rhabarbarum tam ſubſtantia quã dilutum ac etiam ſpecies hyerę:licet enim hac vti ſola ac uni uel omnibus miſcere ſecundum quod Medico conſentaneum uidebitur, & cum liquiritiæ aniſi vel ſachari fini puluere ac doſi qua decet in boli formam propinari. Caſſia enim torridam ac excandeſcentem bilim educit, pariter & pituitam, licet mediocriter:is enim uſus in forma orbiculari ſemper in omnibus maximi proficui fuit, tum quia diu immoratur in uentriculo,ut a longinquis partibus attrahat, tum etiam ut ipſi alia medicamenta aſcondi poſſint, quæ tam eius ventoſitatem tollat, quam etiam uirtutẽ,ac facultatem augeat pariter, & vt illorum amarorẽ ægri non ſentiant,ac guſtu illis minime in iocunda foret. Quandoquidem ſi in forma potabili, & doſi qua vt oportet,& purget,ſumeretur adeo in magnam ac longam potionem attolletur, quòd omnibus nauſea erit, & inficias ibit.

Caput XXVI.

Thorax enim omni ingenio exterius fouẽdus, quibus refrigerandi ac humectandi uirtus insita sit, vt sunt ceratum santalinum aceto dissolutum, unguentum rosatum ac album Gal. verum hæc applicatio tutius post epythema fieri debet, quæ habeant infrascriptæ decoctionis colatæ libras duas, uidelicet boraginis, lactucæ, endiuię, cicorij singulorum, vt sufficiat, aceti boni uncias tres, santalorum omnium singulorum unciam semis, camphoræ grana quatuor, mixtis insimul cum linteolo calide præparetur, nec temere quum tepida partium vigore exoluant. ea propter Auic. admonet in hac febre non esse aspectanda signa coctionis, & attende inquit, cum hæc materia sit uehementis acuminis, & plerunque existat in locis propinquis cordi, cito ægrum interficiet vel ad tempus protrahetur, & in hecticam transmeabit. Idcirco frigidis nostris uocatis serapijs continuo alterare debemus, ut sunt de acetositate citri, de acetosa, oxisachor, ac etiam vinum granatorum, & sic de

alijs: uerum nobis continui fuit uſus Iuleb ex aqua acetoſę, cum quo bulliat vini granatorũ vel ſuccus aranciorum quantumuis, aromatizetur ſantalis citrinis, uel cinnamomi fini parum ægerq; bibat ad libitum, & non aſpectata humorum concoctione pharmacum propinare, & ante ſeptimam diem ſi dabitur occaſio, cibi denique offerendi ſunt, quibus refrigerãdi humectandique facultas ac uis inſita ſit, ut ſunt ptiſana hordeacea, fercula brodij pulli macri, cum quibus cetoſa, borago, lactuca ſemen melonis, pruna damaſcena, ac alia quæ ad hanc intentionem dirigantur, decoqui debent: frigidus enim aer procurari debet, ut ſunt domus ſubterraneę: & ad ſeptentrionem verſę, humo arundines, folia ſalicis, ac palmula uitis ſterni debent, aquam frigidam irrigare & in ægrotum flabello, uel euripo frigidũ, ac ſuauẽ aerem inſpirare, riuulos etiam aquarum domi præparare, ut arte ſtrepitum ac ſuauem auribus rumorẽ inducant, ac ſi quis in montibus prope fontes permanſiſſet, animo ac corpori quietem ac ſolatium deſtinando, hæc licuit dicere & ſint ſatis.

Hecticæ febris curatio Caput XXVII.

Hectica uero febris, quia essentialiter calidæ, siccæve temperaturæ existit,& secundũ quod magis,ac minus,primæ ac tertiæ speciei adhæret,sic pariter denominari potest, intensior ac remissior in gradu suę qualitatis,restat modo huius mortis certitudinem, satius quã salutis spem pronosticare. Verum tũc dicitur hectica, quando omnes corporis partes occupat,vt sunt spiritus humores ac membra solida:indicia uero quibus quæque species febris hecticæ cognoscatur, iam annotauimus destinare in præcedentibus, vbi adunguem singula singulis adaptauimus, taliter quod nullum in hac materia amplius sit inquirendum, & ipsi dicimus, quod ad tantum temporis dicitur hectica fixa,stabilis, ac difficillime,uel citius impossibiliter solubilis ad quan tum natiua humiditas corporis, quæ in car nosa parte,ac in fibris membranisve contine tur,permanet,ac etiam in ea nihil vel parum humidi radicalis supersit, & introducta tunc iam tabes est,quando omnibus cognitu facil

lima

lima ſe oſtendunt: uerum antequã ad hunc gradum pertingat, omnimode refrigerandũ eſt,& ſic ſingula circumſpecte diſcutiendo in ueritatem deducimus,quod potius inhis aggregandum quam detrahendum ſit, quum non ſint in hac humores educendi, ſed cibis potius ipſam alterando ac uirtutem refocillando curare,pariter ex ijs qui quantitate ſint modici, qualitateque uero exacti, ac exquiſiti,ac etiam paulatine, & ſæpius uti debere arbitramur.

Cap. XXVIII.

Summa igitur curationis ſtat potius in uictu, quam in reliquis, ne adomnimodam diſcraſiam, ut Arabes aſſentiunt deueniat, qui collocari debet in actu frigefactionis ac humectationis, omni uia, omnique conatu tã ijs quæ extra locantur,quam ijs quę per os ſumuntur, ambiens denique inſpiratus in eius curatione reliqua omnia debet anteire, cum potior ſit,cæterorum quæ ad hunc finem adminiſtrantur: uerum quia cauſa eſt ſine qua cordis intemperies refrigerari non po-

teſt,& ſi talis regionis natura non adſit, ante paretur, ut ante didicimus, cibis uti debent, qui ſint qualitate antea notati, quorum omnium laudabiliores, ab omni parte, ſunt ptiſanæ cremor, panisque in aqua frigida maceratus, caro hędi, qui in necatione ſit recẽs, ut ſua cum humiditate naturali ab ægroto deuoretur, pulli galiinacei, ac uolucres montani, teſticuli gallorum, caſei recentes ſine ſale, oua ſorbilia, & ſic de ſingulis, inter quos connumerari debet ferculum ex millio, lacte caprino, ac ſachare cum aqua pręparatum pariter, & oriza ſimiliter condita ac decocta inter olera ac fructus ſunt uterque intubus, lactuca, cucurbita, borago, ſpinachia, & huiuſce, ceraſa melones, pruna damaſcena, malapunica cuiusque ſint generis, apia, & id genus, quæ inſertione arte parata ſint, ac guſtui iucunda ſe oſtendant.

Caput XXIX.

Exterius enim iã cunctis admotis quę ſint facultate frigida ac humida, etiam balneum aquarum dulcium modo præparatum, quo in

ferius dicetur, iungi debet, pariter & vnguēta epythema, & id genus perfusionum, quando quidem in hecticis febribus plerunque homines fiunt pauci sanguinis, nudi carne, adipisq; expertes, ea propter omni ratione ad symmetrium deducēdi sunt antequam ad marasmū deueniant, quem autem marasmus plane iā occupauit, hunc sanare non arbitreris, uerum si Gal. Meth. lib. 8. recitet. quantum itaque satius est aliquid nonnulla fiducia vel cum periculo facere quam spe adempta certo perire, tanto profecto satius est potētibus præsidijs pugnare, quam nihil agere. Cornelius Celsus inquit, Sanctius est anceps remedium experiri quam nullum. Thucididis consilium in re dubia: quibus enim alia salutis ratio non est, & quę unica uidetur, ea dubia est, necessū arbitror iri his aduersos periculis, sed nec error ipse aut mortiferus, aut inremediabilis sit, & ipsi dicimus, quoniam cum hac febre plerumque alia febris putrida iuncta sit, pariter etiam & cum aliquo phlegmone in uisceribus, ad magna præsidia recurrendum necessum haud fore fatemur, atque certius potius obesse quam prodesse possimus, quum hę febres

bres à se inuicem nullatenus, uel rarissime seiunctæ reperiant: uerum quia in balneis nulla sit adhibenda fides, ad alia præsidia animum aduertendum ponamus, licet nostræ uocatæ stuphæ imitentur antiquorũ lauacra, in quibus tripartita erat domus, in qua dulcis calida aqua reponebatur, qualitate ac temperie diuersa, ita ut media domus, non tantum sit situ media, sed etiam aquarum temperie media, videlicet sit tanto prima calidior, quanto sit tertia frigidior; adeoque aer cuiusque domus sit admodum temperate calidus, & modice humidus, quæ fit ut aqua temperate calida in omnes partes domus ꝓfundatur. & quia hęc plenè in balneis parari nullatenus fieri põt, restat de his quæ arte parari debent nihil dicendum, cum sint diuitum ac magnatum, nõ autem pauperum præsidia, nisi forte fortuna in medicorum ignauiam, ac eorum adulationem ęgri deuenerint, & sic ut uideantur aliquid ac etiam magni momenti fecisse, hæc ipsa propinentur. Propterea ipsi dicimus, ut tã Medicos, quam etiam balnea occasio non fiat culpandi, ab his penitus abstinendum sit, tum quia non recte omnia parantur, quæ parari

rari debeant,quum etiam quia affectus hecticus putridæ,ac occultæ febri, uel phlegmoni, uel utrisque insimul plerumque iungitur, & tunc tali hectica laborantibus mortiferū erit uitium, quandoquidem plus humidi natiui per halitum resoluitur,quam adscitiæ humiditatis per balneum introducat. Idcirco sicut in calida siccaue temperatura regione,tempore ęstiuo, statuque etiam cœli impense calido ac sicco notabilis sit per cutim uacuatio, sic pariter in balneis contingere par sit, & tandē ex his paulatine fiet uirium resolutio, quibus potius adijcere quam ex se ipsis detrahere necessario sit,vt iam diximus.

Caput XXX.

Nec omittendum est aliqua dicere de lacte tam asinino,quam etiam muliebri, quoniam in hecticis à febre putrida uel phlegmone alienis,sit præstantissimum remedium,& ad hoc omnes Medici tanquam ad anchorā recurrant,sitq; in ipsis quoquo modo administratum maxime conueniens. inquit enim Gal. Meth. lib. a lauacro statim asininum exhibui

lac,

lac,ſed inducta in ipſam qua iacebat domum aſina,ut ipſe aſinam ſugeret, ſin id grauaret, expedit ut quam minimo tẽpore in aere ambiente lac moraretur,propterea quod celerrime mutari ſit aptum:uerum cũ hoc plurimis non placeat,melius eſt calens adhuc ex mammillis, id in ægri uentriculum quam ociſſime transferre, ac optimum quidem utpote cognatum nuliebre eſt lac, ſed ipſi dicimus, ꝙ antequam utrumque lac ſiue ſuctum,uel mulctum hauriatur, etiamque hecticis multum conferat temperate calfaciendo humectandoque atque celerrime nutriẽdo. Sunt & alia quã neceſſario aduertenda,primo ultra quod recenter mulcto,ſit ſuo innato calore bibitũ, idque tunc reliquis omnibus præſidijs nõ inueniatur utilius,quoniam undequaque et quã præſto in corpus digeritur ac etiam in nutriti ſubſtantiam optime conuertatur. Aſina ſit etiam ex bonis cibis alenda,ut ſunt herbę quę ad meridiem,non autẽ ad ſeptentrionẽ, atq; in paluſtribus ac aquaticis locis poſitę ſint. fœnum & hordeum ſit mediocre, exercitationibusque utatur mediocribus, ut cibos bene concoquat,ſit iuuenis ac corpore ſana,demũ

pullus

pullus quem lactat auferatur: secundo ut lac ipsum minimū in stomaco coaguletur, tutius est mellis, uel salis quo uescimur pauxillū miscere, ut nobis horum, pariter & sachari continui fuit usus, licet Gal. dixerat præallegato lib. 16. Id.n. reliquis omnibus ad propositum affectum vtilius, & minime coaguletur, & quo quo uersus ocissime in corpus digeritur, uerū de lacte muliebri nihil dicēdum, cum omnes tale lac recusent, ipsis ceu pueris fore non exhibendum, licet omnia insicias ibunt, ut ipse in multis testis sum.

Caput XXXI.

Cum quodq; lac omni sua administratione ac quoquomodo præparatū sit hecticis præsentaneus cibus, incipiendo à caprino, ouino, & tandem a vaccino, in quibus recenter mulctis, & præcipue caprino, imbibatᷣ per sex horas medulla panis noui, ac bene fermentati, & medio cocti, & sic a cibo singulis quibusuis diebus æger restauretur, uel etiam uti possit lacte coagulato & pane modo quo vulgariter ab omnibus præparatur. Aliud etiam ferculū

poterit

poterit ſecundum iſtam formam præparari, capiatur medulla panis conditionis vt ante, infundatur in lacte caprino per quatuor horas, deinde coquatur cum lacte amigdalarũ dulcium, emulſionis ſeminis melonis, papaueris albi, quod ſat ſit, & cum ſacharo fino & aqua in cõdimentum deducatur: præſtat enim miſcere unum uel horum utrunque, videlicet ſpecies diatrag. frigidi, uel manuschriſtperilati, iudicio prouidi, ac rationalis Medici.

Caput XXXII.

Sit lactis præſto ac continui uſus, ſecundũ quod ipſis ægris, tã ex eorum relatione, quã etiam medicorum artificioſa coniectura prodeſſe poſſit, atque cætera ex induſtria parari debent, quæ tum refrigerandi humectandique facultate prædita ſint, uidelicet capiatur pulpa caponis bene carnoſi ſed gracilis, numero uno, infundatur in lacte caprino per diem, optime contundatur, & cum lacte ſeminis melonis, farine hordei cribellatę, ſachari & aquæ quod ſat ſit, fiat condimentũ, aliud capiatur olei uiolacei, de nenuphare ſingulo-

rum

lorum uncia una butiri recentis, assungię porcinę ueteris, singulorũ drachmæ duæ, medullæ cruris uituli, drachma una, ceræ quod sat sit, fiat unguentum secundum artem, quo frigide uninersum corpus ungatur. Proderint etiam epythema, quæ linteolo supra cor ac epar admoueantur, talia sunt quæ habent, aquarum uiolarum, cicorij, lactucæ, endiuiæ, uel forte melius earum decoctionum colatarum, ac depuratarum, singulorum uncias quatuor, rosarum rubearum, santalorum omniũ singulorum drachmas duas, camphorę grana quatuor, aceti optimi uncias tres, quæ sæpius reiterata calide admoueantur. Recordare, vt notat Auic. quod si æger ex inordinato uictu in humorum congestionem tam uentriculi quam intestinorum deuenerit, tunc uacuare quimus à uijs latis Manna uel Cassia: uerum si in tędium uos abduxi, ut quo potui plurima annotarem in hac materia superest dicere de uino eo ipso uti necessum fore, & præcipue si sueti sint ægri, sed quod tum aspectu, tum uiribus sit aquosum, quippe qui, ut concoctionem, urinam, tumque ut uirium restaurationem procurent, quoniam omnium

celer-

celerrime ac maxime nutrit, eo quia plus lucramur eo uirtutem paulatinè refocillando, quam eo ipso febrem augendo, iam ad alia ire aggrediamur, & sint satis.

Pestilentialis febris curatio. Cap. XXXIII.

Etsi omni, qua opus fuit diligentia multa, & oportuna disseruimus de hac febre in præcedentibus, ubi tum causas, quum signa earũ abunde docuimus, ibique plura huic febri cõducentia studiosi reperient, si in illum usque locum animum aduertant, vt iuncta exacte percunctentur. Nunc uero de ea satisfit reliqua quę huic negocio sint oportuna, quam breuissime pertractare, vt inde præsto eius curandi rationem inuestigemus, ac ocissime necessarijs præsidijs, ut decet, ipsi obuiando occurrere possimus. febris enim pestilẽs, tam ex se quam etiam propter symptomatum sæuitiem, maximus est morbus, quam mali modi febrem Auic. appellat, cumin abscondito his febribus interiora urantur, exterioraque frigeant, ægrumque maxime laceret, & tandem

ipſum necet. Idcirco ipſi dicimus[a], cum febris peſtilens ſit duplex, Altera proprie, ut eſt quæ immediate pendet ab aere corrupto ob prauam ac occultam eius qualitatem, quæ ſi impartitur ſubſtantiæ cordis, taliter affecto, ac inſpirato, hæc uero erit febris peſtilentialis, quoniam eo vagatur tempore quo uiget peſtilentia: morbus enim dicitur à vulgaribus, quoniam excellenter reſpectu omnium aliorum morborum, omnia indiuidua inficiat, licet indifferenter, ut plane annotauimus, ac tacitæ obiectioni ſuo loco reſponſum dedimus. quare nonnulli à peſtilentia illęſi permaneāt.

Caput XXXIIII.

Cæterum alia uero eſt febris peſtilens, quę medijs humoribus pendet à peſtilenti febre, quoniam antequam ambiens corruptus ac mortiferus ad cor pertingat, ut contingit in uera peſtilenti febre, primo humores inficit, ita quod ipſi ſic mala putredine penitus affecti ac corrupti, ſæuis ſuis ac venenoſis vaporibus ſit effumatio ad cor, hancque ſecundā febrem peſtilentem gignunt, licet in his ferè

nulla ſit ſpes ſalutis, cum inſimul coincidant, vel parum differant. & erit illa febris, quæ a Medicis Peſtilentialis dicitur, ortumq; habẽs his temporibus, quibus ueræ febres peſtilentiales ex aere corrupto non uagantur, & ſic ipſi dicimus, quòd hæ febres plerunque, immo ſemper ortum habent à prauo uictu, hæque regione, ac prȩuia fame ob ciborum inopiam, quæ in tantam pernicioſam qualitatem æquè humores omnes deducunt, vt in tota maſſa ſanguinea inremediabilis læſio impartiatur, quæ tandem ad epycraſim vllo alio ingenio reduci poſſunt. ſed proxime ac immediate ijs cibis cor inficitur, vt inde neceſſario mors ſequatur, ac ſi quis rem uenenatam per os aſſumpſerit. Gal. de diff. feb. lib. 1. inquit, cibos intelligo malos, & qui natura tales ſint, ut allia, cæpe, naſturtiũ, porrum, braſſica, ocimum, urtica, & alij quicunque nominantur agreſtes, ut lapſane apud nos, atque etiam qui boni ſint natura, ſed ob putredinẽ quandam prædictis æquale, aut maius ſæpenumero uitium acceperunt, ut hordeum, ac triticum, & aliæ omnes fruges partim ob tẽporis longitudinem, ad putridam diſpoſitio-

nem deductæ, partim ſitu quodam repletę, quia praue repoſitæ ſunt partim ex prima generatione ipſa rubigine uitiatæ. tales igitur cibos etiam nunc plerunq; comedere coacti præ fame, uel febribus putridis, ac peſtilentibus mortui ſunt, vel puſtulis ſcabioſis ac leproſis correpti. & ſic cibi boni triplici forma uitiantur, & ex una, pluribus, uel omnibus ſecūda febris peſtilens gignitur. Iam ad noſtrum propoſitum curationis, iter aggrediamur cū de malis cibis, tam natura, quam longo tempore, ac ſitu putridis, pariter, & prima ipſorū generatione uitiatis, dicta ſint ſatis.

Caput XXXV.

Cum omnis febris peſtilentis certiſſimum indicum ſint bubones, qui ſub alis, poſt aures, aut circa inguina ſubito oriantur, & ſi etiam in alijs corporis partibus carbunculi fiant, adeo quòd ijs apparentibus naturæ robur certo commōſtrent, ut venenum e corpore expellere efficaciter conetur, confeſtim ſi alia non adſint quæ hanc redarguant, ut toties annotauimus, deueniendum eſt ad ſanguinis

missionẽ:eoq; latere fieri debet in quo suspecto est pestilẽtẽ bubonẽ exoriri,& sic iecorariam, quam basilicam,humeralem, quam cephalicam,saphenam siue malleoli uenam incidere debemus,hasq; sub tali nomine omnes uocant.& si quam multi temere contendant sanguinis missionem in febre pestilẽti, etiam à principio,quum in hac febre à maligna uenenosaque materia illico uirtus debilitetur eaque augeat in uirtutis casum,in tantum qđ uirtus illi febri minime resistere possit . sed ipsi dicimus, quòd nunquam uel rarissimè in principio huius febris fit casus uirtutis, quin sanguinis missionem tolerare non possit,verũ ipsa exquisite fieri non debet, ne sanguinis copia fiat resolutio spiritus, ac caloris naturalis, penitusque non opprimatur ipsa uirtus, sed exacte omnia sint aduertenda quæ supra phl'etoram, ac sanguinis dominium arguant. Aliud si forte fortuna in principio huius febrisvirtus fuerit imbecillis, vt suspecto sit uenę sectionẽ non sufferre,aduertendum est qđ potius fiet debilis per aggrauationem humorum,quam per uiam resolutionis. & sic in hac plenitudine necesse sit uti sanguinis missione,

licet pauca, quia æque omnes humores educat, & ſic natura exonerata reddetur potentior circa reſiduum materiæ malignantis. bene uerum eſt quod poſt exitum ac exteriorẽ apparitionem bubonis, ſiue alterius cuiuſq; abſceſſus, in quacunque ſignata parte corporis ſint, minime fieri debet ſanguinis miſſio, quum ex hoc nobis certo animo ſit, uirtutem ab intra ad extra fortiorem eſſe in expellendo quàm ſit morbus in pugnando cõtra naturam, ideo in hoc caſu timendum ſit quod ex ſanguinis miſſione, ita uirtus proſternari poſſit, ac taliter impediri in excretione materiæ venenoſæ, quod dubium ſit eius fieri reconcentationẽ ab extra ad intra, verũ quia tunc vti debent alexiterijs antidotis, quæ uenenis aduerſentur, ut nimirum uenenum attrahãt, atque à corde ipſum reuocent, ut ſuo loco dicendum repono.

Cap. XXXVI.

Aliud minime omittendum, ſed de hi dicere multa neceſſe ſit, uidelicet an foris etiã bubonibus apparentibus attrahentia ac ca-

lorifica medicamenta applicari debeant, ipsi dicimus, quod initio ipsis emergentibus, ut uenenum extrahatur, ac si ut in ictu, ac morsu alicuius animalis uenenosi medicamenta tali qualitate munita ab extra admoueri debent, hæcque esse conducibilia in his pariter, ut in morsibus rabiosi canis cum hi etiam à quali tate venenosa ortum trahant. Gal. de Ther. ad Pisonem lib. inquit in summa. Theriaca & extrinsecus imposita, ac epota rabiosorum morsibus pręsentanei medicamenti cuiusdã instar exacte auxiliatur, & hoc intelligẽdum esse, quòd foris applicita attrahat, sicut & alia medicamenta alexiteria, & non ut ipsa extrin secus admota intro ac in profundum uenenũ propellat, ut inter Arabes aliqui sentiunt, pariter dicendum sit de cucurbitulis scarificatis, quam etiam & de ignito cauterio, ut in nostra huius febris curatione conabimur pas sim quamplurima recésere, & si uerum in his sęuis ac perniciosis symptomatibus aduerten dum sit an ortum habeant die critica, in quo cum fiat motus materiæ in virtutem, ac uirtu tis in materiam quam pugnam morbi cum natura, ut humores uincat, atque secernat, &
id

id quod pro posse sibi par sit tentet, appellemus. verumtamen licet sit mala crisis plerunque in abscessu ad mortem terminata, interdum supra ægri salutem se ostendit, stante uirium robore, ea propter ipsi dicimus, quòd ab huiusce tumoribus etiam quòd in die critica ortũ habuerint, sæpius ad mortem ægri deducuntur, quandoquidem sine tolerantia uirtutis ceu semper uisuntur, adeo quòd sequuta imbecillitate virtutis fugit spes salutis in ęgrotantibus, quoniam tales tumores, tunc exeunt per uiam symptomaticam, non autẽ criticè; uigore uirtutis expultricis fortis, quæ materiam uenenosam foras educat, eo quia in uera crisi præit humorum concoctio, eorumque discretio, atque demum euacuatio, post quæ æger in omnibus incipit bene se habere. cęterum plerumque contingunt & alia symptomata in his febribus etiam in dię iudicatoria, & sunt quædam maculę tam colore quam modo substantiæ diuersæ, hasce petechias, siue papulas moderniores uocant, & tunc in his casibus aufugienda est sanguinis missio, tam virtute existente forti, quam etiã inbecilli, quoniam natura nõ debet impediri

à motu materiæ pestiferæ ac venenosæ ab intus ad extra illam reuocando ad intima contra motum eius ad extra tentans, quod ex his uirtus alleuietur.

Caput XXXVII.

Cætera quæ sint adhuc in ista curatione omni circumspectione ac quam exactissime percunctanda, iam incipiemus, & primo an in bubonibus ac papulis, quæ in omni morbi tempore, quam etiã die aliquo critico erumperint, negligenda ac aufugiẽda sit medicina laxatiua, quam eradicatiuã moderniores vocant, & ipsi dicimus, quod huius pharmaci exhibitio, uia ac modo destituti quo fortiter soluat penitus cauenda fas sit, tum quia humores moueret, ac retraheret ad oppositum motus naturæ, quo uerget, ipsos educendo, quum etiam quia bipartita natura fiet imbecillior, & abutisque defatigata desistet à motu iam incæpto, ut humores pestiferos ad cutim pariter & pharmacum, quo etiam eo ipso humores educendos expellere possit, ut ad fidem ab aliquibus infœliciter probatum ri

fatear, ad pronoſticum uero huius febris ſunt papulæ ipſi plerunque contingentes rubeæ, aliæve ad albedinem tendentes, ac etiam nigræ, quæ duæ primę quia ſuper eorum humores nondum putridos peſtiferos ac uenenoſos deteſtentur, arguũt ſupra ſalutem, ſecus vltimæ nigræ mortem undequaque portendere arbitramur, iam ad remedia ſimus.

Cap. XXXVIII.

Porrò iam ſecta uena ſi nihil obſtiterit, his medicamentis quæ venenis ſint aduerſa, pariterque ut putredini reſiſtant, ad hoc ut omnimoda humorum putredo non fiat uti debemus, & ſic purgatis humoribus caſſia, Manna, Tamarindis pulpa prunorum, & huiuſce pharmacis lenientibus, præuia, uel ſubſequẽti euacuatione per uenæ ſectionem, iam capiantur Theriaces finę, drachmę duę; Mithridatis, ſcropuli quatuor; aquæ ſcabioſæ, vnciæ duæ. verum ſi corporis temperies ac anni tẽpus ad frigidum tendant, uino potenti, ac ſi dicamus Aruiſium uel Phalernũ, & id genus fiat potus, uel hic puluis doſis drachmæ unius

quibuſuis

quibusuis diebus cum aqua acetosæ, uel uino vt supra propinetur qui accipit foliorum dictanni, tormentillæ, gentianę radicum betonicæ, seminis citri, cort. aranciorum singulorum unciam semis boli armeni pręparati, drachmā unam, aloes, epatici, mirrhæ, singulorum drachmas duas, masticis, drachmam unam, croci scropulos duos: fiatq; ex ijs potus. capiatq; eū æger ieiunè, quid si ex his sudor emanabit, ne dormiat bibat, aut edat æger, sed linteis calefactis quamdiligenter abstergatur. Aer enim cameræ, in qua æger decumbit, odoratis suffimentis sæpius repurgetur, ut sunt styrax calamitis, belzoi, & alia magistralia, quæ profumi dicuntur, & gratum spirent odorem. sint continui vsus, serapia de acetosa acetositatis citri, oxisachar, de pomis compositus, uinum granatorum, acetum rosatum, quibus omnibus tum per se illinctu, quum etiam cum aquis acetosę, melissæ; boraginis uti debent: verum si in his infundatur per noctem petia linea ligatorum corallorum rubeorum, boli armeni orientalis, singulorum drachma semis, corticum & seminis citri, singulorum scropuli duo, seminis acetosæ, nigellæ, singulorum scro
pulus

pulus unus, ac eorum facta leui expressione, præstantior, ac salubrior fiet potio.

Cap. XXXIX.

A serapijs iam dictis, ac tunc dicendis aspectanda est materiæ concoctio, si non perfecta saltem imperfecta, ita ut aliquale dominium naturæ supra morbum ostendat, & tunc subito pharmacum dare, ut humorum portione educta, tollamus, ne turgenti ac uenenosa eorum qualitate, penitus effumicatio ad cor non pertingat, uirium robur dissoluatur, ac etiam febris calor in maiorem auctionem nõ deueniat, uerum cum maxima cautione, ac etiam uiribus ægri optime pensitatis, serapia enim sint. Si capiantur aquæ acetosæ boraginis, melissę, lupulorum, singulorum, unciæ quatuor; aquę rosatæ, unciæ duæ, boliarmeni fini, corallorum rubeorum, contusorum, seminis citri, singulorum drachmę duę, florum cordialium, pimpinellæ, singulorum manipulus unus, bulliant, colẽtur. Adde uini granatorũ libram semis, succi acetositatis citri, limonum uel aranciorum uncias duas, & cum sacharo

quod ſat ſit, fiat ſecundum artem, aromatizetur ligno aloes, & cinnamomo fino, parum, Iulebque longum dicetur, capiatque ad libitum ſed potiſſime diluculo; pharmacum enim ſit ſi capiantur Rhabarbari boni, drachmæ due, cinnamomi fini, drachma vna, infuſi expreſſique ſecundum artem, in aqua cicorij, ac vini aromatici, quod ſat ſit, diſſolue Mannæ electæ, vncias duas, Tripheræ perſicæ, Diacatt. elec. Indi maioris, ſingulorum drachmas tres, ſerapij viol. uncias duas, & decocto cordiali vt moris eſt, propinetur potus, & per regulā uti enemate uocato lauatiuo, videlicet capiatur brodij pulli ſine ſale, vel aquæ hordei quod ſat ſit, mellis ros. vnciæ duæ, ſachari rubei vncia una, vitelli ouorum numero duo, poterit etiā ut leniat addi caſſiæ extractę uncia ſemis.

Caput XL.

Verum quia plerunque uires in febre peſtilenti ſunt imbecilles, opus eſt tam cor, quam alia membra principaliora corporis confortare, ut ſunt etiam epar, cerebrum atque uen

triculus

triculus. Idcirco exhibẽdum ſit quod accipit ſachari roſacei, bugloſſati ſingulorum unciã unam, boli armenij prę parati ſcropulos duos corallorum rubeorum, corticum mali citri, ſingulorum drachmam mediam, ariſtolochiæ rotundæ ſcordei, ſingulorum drachmam me diam, ſerapij de acido citri, quod ſat ſit, fiat mixtura, capiat ieiune drachmam unam pro vice. Aliud accipiatur Theriaces finæ uncia media, ſucci limonum, unciæ tres, croci, gentianę, diptanni albi, ſandarachę ſingulorũ drachmæ duæ, ariſtolochiæ rotũdæ drachma una. Olei da ſpica, ceræ, aceti, quod ſat ſit abdenno moſchi grana tria, fiat unguentũ ſecundum artem, utere calide mane, & ſero ſupra cordis regionem. Aliud accipiatur ſan tal. alborum ſtyracis calamitis, belzoi ladani, mirrhæ, cinnamomi, galliæ moſcatę, gariofilo rum, ſpicæ nardi, ligni aloes, ſingulorum pon dus equale, & cum terebentina, & aceto ſtillato moſcato fiat pila ponderis unciarum dua rum, quam præ manibus ac pectori ligata teneant ægrotantes, etiam ad præſeruandum à peſte. Aliud accipiatur boli armeni fini, ualerianę, cardi ſanti, mirrhæ, gentianæ, ariſtoloc-
chiæ

chiæ rotundæ, diptanni albi, singulorum vncia vna, pul. subtilissimæ, & cum libris tribus aquæ uitis, ponantur in uase uitreo, bene obturato per spatium 24. horarum. Adde in fine, vini maluatici quod sat sit, exprimantur, colētur, fiatque potus, capiatque ieiunè singulis diebus uncias duas cum serapij de acido citri uncia una, & sic in remedijs tali materiæ condonandis, dicta sint abundè.

Caput XLI.

Et si multa, ac rationalia medicamenta sint inferius parata, restant & alia paranda necessariora. ea propter ut nil pro posse desit, quin præter causas, tam externas quam internas, habitũ corporis, Dei uoluntatem atque flagellum, cęteraque plura adsint, quæ recensere minime necessum sit, sed tantũ earũ quæ multum potentes ac necessariæ sint, siue quibus non ægrotantes, qui hac lue inficiantur, minime sanari possunt, aliquas atque principaliores enarrare. ea propter ipsi dicimus, quod Medici rationales adde etiam & vulgares, non solum eos curare volunt, sed minime

me

me ullum remedium in eorum opem tentãt, adeo quod ægrotantes maximo timore atq; mœſtitia afficiuntur, quum ſciant tam à medicis ipſis, quam etiam per ſeipſos, natura ſanari haudquaquam poſſe, pariterque reliqua ipſis deſint, quæ ad uitæ munimen, ac ſubſtentationem faciant. Secundo quod omni ſemota charitate, quiſq; eorum commercium fugit ac ſi nulla foret relatio coniugij, conſanguinitatis, affinitatis, amicitię, ſeruitutis, ac demũ neque ſacerdotis in dei cultum, vt in his, atq; ab his reliqua fiant, quæ decent ſed minime, Deo eorum animam cõmẽdent, quod taliter deteſtandum, ac omni ratione, & undique a charitate alienum eſt, quod non mirum ſi ægrotantes in tantam deſperationem deueniant, quod cupiant, uelint, ac procurent uitam in mortem tranſmutare, etiam quòd nihil ſit optabilius uita, pariter & nihil deteſtabilius morte. Tertio quòd a magiſtratibus, plerunque tam impie, ac inhumaniter ui e propria domo foras egredi, uel ſaltem in ipſam miſerrime ac infœliciter clauſos tamdiu permanere cogantur, quod mortem undequaq;

præoculis

prę oculis habeant,& tandē ibi mori necesse sit,ac si forent delinquentes, qui puniri debeant pœna ultimi supplicij,demum ipsis abū dè lachrimantibus contenti sint, hanc in diutinam, certam, ac fastiditam carceris mortem transmutare. Quarto quòd omnia bona mobilia quæ tam uictui, quam etiam uitæ undequaque necessaria sint, sibiipsis plerunque comburantur, ac si insensata possint sensus, ac passiones luis sufferre, ut ex ijs in alia, ac ex alijs in cætera successiue per aerem impartiri contagio possit. Verum si hęc omnia quam diligentissime administrentur, ut tuto quis pro posse pestem aufugere possit, sintq; non multum à ratione aliena, restat quāapprime & maxime necessarium ut pauperrimi ægrotantes infœliciter non uiuant, quòd à principibus, magnatibus, ac magistratibus, in omnibus cum omnibus omnique conatu adde etiam omni charitate, ipsis fauore, ac re adiuuandum, atque supplendum fore: tum ut fame non moriantur, quum etiam ut in medio sui cunctis ac etiam Dei cultu deficientibus, animam non deperdant, ipsaque desperentur.

rentur. Quam luem Dij precantur aduertãt, & hæc erunt illa necessària remedia quæ initio ac libri fine destinauimus, licet tam animæ, quam corporis omnia euellat Dei propitiatio, cui semper sit laus, & gloria, cumque hoc ipso nutu, præcæteris me aduolaturum in secula.

Finis Secundæ partis.



TRACTATVS
DE VENAE SECTIONE.
IO. ANGELI DE CONTECILLIS Medici, ab Aquila.



CAPVT PRIMVM.

SEcare venam, ipſi dicimus potiſſimum eſſe inſtrumentũ, & ſine quo non, repletum corpus vacuari haudquaquã poſſit, quum æque ſit omnium humorum vacuatio, ac etiam ab imminentibus morbis præſeruatio: quandoquidem pro diuertendis humoribus, qui ſint apti nati iin aliquem principaliorem locũ fluere, atque phlegmonas ſieri, vt contingit in plenitudine, ac etiam id genus phlegmonũ in uiſceribus, nihil excellẽtius inueſtigare qui-

mus

mus ipsa sanguinis missione, idcirco timentes ex quauis occasione ipsas phlegmonas oriri, etiam quod euacuatione corpus nō indigeat, hoc plerunque auxilio audacter vti debemus, ut si quis ex alto cadat, ac etiam quouis alio modo fuerit percussus, ita ut obscurum internum, uel externum dolorem sentiat, verum ista hæc tria necessario sunt agnoscenda ab ijs qui sanguinis missione recte uti uelint. Primo, ut innotescat an affectus hac indigeat uel non, quandoquidem in morbis ex defectu natis adiectione potius, quam detractione, uti congruum sit, ut in senio, ac spasmo cnico, & similibus. ea propter quam perpulchre Herophilus asserebat medicinam esse in deficiētibus dare, atque in redundantibus tollere, aliud si vacuatione indigemus, distinguendū postmodum sit, an sanguinis missione, pharmacia, frictionibus, & huiusmodi, vti debeāt, demum an hæc omnia ægrotantes, uel plura horum citra noxam ferre queant, quoniam deficiente virtute omnium præstantissimum indicatuum ab hac penitus abstinere nulli dubiū, licet parum sanguinis uel hanc biparti ri possimus, secundum quòd magnus uel fu-

turus magnus morbus det nobis indicium, habitu, ac viribus exacte conſideratis.

Caput I I.

Magni ſunt uſus huius venæ ſectionis, quoniam nihil eſt quod præcipue ſoleat in frigidare corpus, & ob ſuperfluam caliditatem non fiat virtutis caſus ipſa ſanguinis miſſione, Gal. Meth. 9. Aufero itaque ab homine eouſque de induſtria ſanguinem quoad animo lingueretur, maximum uero ubi ualentes uires ſunt, continuæ febris remedium, id quod tum ratione, tum experientia didici. Primum namque in contrarium ſtatum agitur corpus celerrime ex animi defectu refrigeratum hoc nemo inuenire poteſt neque quod ipſis ęgris neque quod naturæ quę animantes gubernat iucundius utiliusque ſit, uerum plerunq; mihi ipſi contigiſſe conſcius fateor, omnibus ægris hiſce febribus laborantibus quam cito facta ſanguis miſſione, interdum aliquibus alui deiectio ſuperuenire, nonnunquam etiā bilis uomitio, pleriſque madores, ſudoresq; à toto corpore excipere: ea propter quum ho

rum

rum plurima insimul, uel aliqua eorum ipsis contigissent, protinus febrem extinxerunt. cætera quæ huic sermoni quam oportunum ac consonum sit adaptari ne pręcipitanter in animi defectũ inclusiue quis incurrat, videant studiosi in tractatu nostro de febrium curatione cap. 9. ac alibi infra, vbi singula quæ huic proposito circumspicienda sint, planè ac exacte pro posse annotauimus.

Caput III.

Cęterum ac plerunque intrepide nos experiri fatemur in suspecto tum ambientis, regionis, anni status, quum etiam quando pestilentes febres populariter uagantur, ad euitandam ingentem putredinem totius massę sanguineæ uenam secare præsentaneum esse remedium, ne febris pestilẽs generetur. ea propter tollit quod superfluit ut tunc, ac etiam quod in posterum superfluere ac putredinem quem inducere potuerit euitabimus, quoniãi humorum copia non solum uirtus fiet prona ad luem recipiendam, uerum etiam ea calor natiuus plerunque suffocari, atque etiam

uaſa diſrumpi & ſic ne fiat morbus futu-rus magnus tollit cauſam antecedentem, morbumq; uacuat. vnde falluntur, qui hanc ſanguinis miſſionem dimittunt pro euitanda futura inflammatione in corporibus mundis arbitrantes hac non indigere, verum modica vel partita uti debet, ut hanc ſine diſcrimine uirtus tolerare poſſit. Gal. nimirum in de ſangui. miſſione cap. 9. ita præcipit. Primi autem & maxime proprij ſanguinis mittendi, ſcopi ſunt Morbi magnitudo, robur laborantis, atque ætas: ſequitur enim non ſolum ubi iam adeſt morbus magnus ſanguinis mittendi occaſio eſt, ſed ubi futurus magnus fore ſuſpicio eſt.

Caput. IIII.

Accidit nonnunquam quod aliquis affectus uenæ ſectionem cupiat, cæterum ex piramide redargutiones inuicem ſeſe opponunt, ut ſunt pueri, ſenes, effœminati, delicatiores, albique uiri, & præcipuè ſi in animi deliquium ob ſenſilem uentriculi uexationem ſoliti ſint incidere, quandoquidem in ijs & plerunque
in

in pueris humores ſunt nimis tenues ac etiã per cutim euaporabiles, & ſic ex uenę ſectione ſumetur ſanguis naturalis, in quo conſiſtit atque reponitur principium uirium, qui abſolutè ab omnibus uita atque natiuus calor appellatur. ea propter ſiue ſint anima, uel instrumentum eius ſanguine iam uacuato tollitur, ſiue diminuitur anima, vnà cum robore uiriũ diſſolueturque, ut ſemen quod ex ſolo aere in aquam tranſit, atque tranſmutatur, ſic pariformiter in his euidenter apparet, quum per halitum, atque ſuauem madorem inſenſibiliter noxij humores euaporantur, atque reſoluuntur.

Caput V.

Hinc fit quod Gal. Meth. 9. inquit: puerorũ enim ſubſtantia omnium facillimè digeritur, atque diſſipatur, propter quod omnium eſt humidiſſima. nulli uerò frigidior exiſtit quo minus uacuanti præſidij eget, quum habeat ex ſe ipſa unde naturaliter uacuetur, poſt annum uero decimũquartũ, ſi perihneumoniæ, pleuritidis anginę aut alterius acuti morbi pe-

riculum instàt, præsertim si sanguis copiosus in his coaceruatus fuerit, tempus anni uernũ, atque adeo temperatum fuerit, regio itidem temperata, & pueri natura sanguinea ijs auda ćter mittendus erit: cęterum non numero an norum, ut diximus, usque ad 45. attendendũ fore arbitramur, quandoquidem pro corporis habitu atque uiribus sunt sumendæ indicationes, quippe qui sunt aliqui qui ætatis suę anno sanguinis missionem ferre non possunt, subinde sunt septuagenarij, qui hanc citra ullam noxam ferre queant: uerum, si ad unguẽ possibile foret, ij eodem affectu cum ætate florentibus laborare semper illis minus sanguinis mittendus erit, quod scilicet uirtus eo rundem atque sanguinis copia sit paucior, ac imbecillior, animumque Medicus aduertat, ut dum sanguis mittitur, pulsum tangat, ne in caute pro animi defectu mors ingruat, & hæc de ætate ac corporis habitu dicta sint satis.

Caput VI.

Cæterum de anni tempore & regionis natura dicendum erit, quoniam sub cane & ante

canem

canem, ac etiã in maximis frigorib. haudquaquam detrahendus eſt ſanguis. Inquit enim Gal. ut nihil deſit ad uiam & eum qui ab ambiente noſtra aere deſumitur ſcopum, quum fueit abunde calidus & ſiccus, cito ab eo corpus euaporatur, nempe tunc a ſanguinis miſſione abſtinemus. Idemmet Gal. Meth. 9. inquit. fit enim profecto propter calidam ſiccãve regionem, & tempus æſtiuum ac ſtatum cœli impenſe calidum ac ſiccum notabilis ꝑ cutim uacuatio. itaque ijs qui ſanguinis detrahendi egent, aut prorſus uenam non ſecabimus, aut parum detrahemus, & ſi morbus magnus ſit, florenteque ætate homo, & ita ipſi dicimus quod ſtantibus cæteris ſcopis, ut ſunt plenitudo, quoad uaſa, tumiditas uenarum, oculorum rubedo, pulſus magnus, uita ocio, atque crapula degens, vini abundantia, habitus totius corporis, quæ omnia uel plura ſimul iuncta, quum deteſtentur ſupra phletoram & humorum copiam, tunc ſectio uenæ fieri debet, & ſic etiam intelligendum de tempore anni extreme frigido, verũ hæc omnia cum maxima cautela, ac cunctis exactè perſpectis, quæ ad ſanguinis miſſionem requirantur

tur. cum omni quouis tempore hæc omnia accurate conſideranda ſint, quoniam ex aere nos ambiente humores concentrantur congelanturq; , ita ut ad uenę ſectionē haudquaquam prompti ſient, & de anni tempore ſat ſint enarrata.

Caput V I I.

Multum intéreſt hanc uel illam uenam incidere, & ſi à toto omnes uacuent, quoniam obſcuram poſtque longum rempus aliqualē utilitatem ſecus ferat, ſi à qua non decet uena fiat ſanguinis miſſio, ut pleuritidis exemplo ratione ac experientia cognouimus: ea propter humeralis, quam cephalicam à collo ſupra immediate, interna quam iecorariã, ſiue baſilicam, & hæc ſi non apparuerit, mediam communēq; uocitant moderni, à collo infra uſque ad præcordia educũt, pariter & ea quæ inter annularem & medium digitum ſituata eſt in lienis affectibus ſecari debet, quam ſaluatellam ſiue lienarem uenam Arabes appellant, uerum tutius ac cautius in his affectibus lienaribus ſiniſtra baſilica ſecari debet, ut nobis

bis continui fuit uſus, ſic & ea quæ in malleolis quæ ſaphena hodie dicitur in mulieribus non prægnantibus, ac purgantibus pro diuertendis humoribus à loco ſurſum ſecundum longitudinem deorſum ipſam ſecare optimi ſunt uſus. Gal. in de ſang. miſſione lib. & quando hoc facere uolueris, ut menſes euocare uelis prope tempus conſueti mulieris circuitus tribus aut quatuor diebus anteuertas. & hęc de uocibus, ac numero uenarũ ſecandarum in uſu indicata ſint ſatis.

Caput VIII.

Menſura ſanguinis educendi ſumi debet, tum primo a uirium robore, quum etiam a magnitudine morbi, ab ingentique dum copia humorum cęteris alijs coindicantibus ac quam ſolenniter perſpectis, an copioſa uel parca huiuſce ſanguinis miſſio fieri debet, quã doquidem his ſe inuicem conſentientibus, uerum nondum ita ualidæ ſint uires tunc partienda eſt ſanguinis miſſio, potiuſque reiteratis uicibus inclinandum fore ad copiam ſanguinis educendam quam ad eius paucam ac

modicam quantitatem, quum ꝑfecto magis lucremur ex diminutione cauſæ faciẽtis morbum, quam ex ablatione uirium, & ſic eligẽdũ ſit potius uires imbecilliores reddere, quam morbum dimittere maioremque facere.

Caput IX.

Tempus ſanguinis mittendi ubi iam propter enarratas cauſas fuerit neceſſarium, ſingulis quibuſuis diebus omniq; etiam tempore morbi & præcipue in febribus putridis continuis ſemper erit congruum. Gal. Meth. lib. 9. inquit, Optimum igitur factu eſt, ut nos ſemper in re quaque facere uidiſti, ſtatim non numero dierum, ſed uni tantum uirium robori attentum eſſe, quippe qui ſi ſeruatum eſt non ſolum ſexto ſeptimoue, ſed etiam ſequentib. diebus ſanguis eſt mittendus. uerum tutius in principio, quia uires tunc plerunque ſunt ualidiores, ac ui morbi minime diſſolutæ, quę ſunt principaliſſimus ſcopus ſanguinis uacuãdi, ſi hanc minime faciundam redarguant ſymptomata quæ ſæua, intenſa, pernicioſaque fuerint, ut plerunque contingit in febribus pu-

tridis

tridis continuis,ſecus autem in intermittentibus,ut in tertiana exquiſita,in qua uenæ ſectio parum probatur, quoniam plerunque uomitu, diaphoreſi, uel excremento bilioſo ipſa per ſeipſam finitur,cum ex uenæ ſectione fieri poſſit attractio ab intra ad extra, & ſic difficile iudicium longum, periculoſumque morbum cauſare,& ſi extra propoſitum, non tamen ab re fuit hæc enarrare.

Caput X.

Matutinum igitur tempus eligendum erit, tum quia humores præcedente ob ſomnum concoctione, ſint quietiores quam etiam eo ipſo tempore dominetur ſanguis,hancq; ſententiam tenet Epheſius Sorauus,qui ita ſcriptum reliquit. Ab hora noctis nona, uſque ad horam diei tertiam ſanguis, & ab hac uſq; ad horam diei nonam,flaua bilis, & ultra hãc uſque ad horam noctis tertiam atra bilis continuando uſque ad principium temporis quo incipit peccare ſanguis,prædominari pituita. & inde eſt quòd in morbis originem habentibus à pituita, ut in coxendicis,alijsque dolo

ribus

ribus articularibus ægri noctu maxime grauantur ac intensiore dolore afficiuntur, ut ex localibus licet mixtę vel simplicis fuerint qualitatis, indicationes capere possimus, & à lędentibus iuuantibusque calorifica frigefacientiaque sibi ipsis admouenda prodesse possint. hęc extra sermonem sint dicta, licet minimè confacibilia.

Caput. XI.

Cæterum quod iam diximus, non esse perpetuo uerum omnibus palam ostenditur, eo quia eligendum sit tempus in quo plerunque corpus à quo sanguis detrahi debet sit uacuum à fæcibus, & à cibo, cum Gal. Meth. 9. Nam si pręcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ sectionem iubebis, quantū satisfacere tum ad eorum cōcoctionem, tum ut excrementa descendant videbitur, proinde etiam non subito quod tam sanus quam æger e somno excitetur sanguis mitti debet, sed per unam atque duas horas postea vigilarint, pariter etiam & in aliquibus morbis alia certa hora quæcunque ea fuerit, sanguis mitti

necesse sit, ut in præsentanea angina quæ apprime suffocat, mortemque inducit, sic & in pleuritide ac alijs internis morbis, qui præsentaneam mortem plerunque secum ferunt, cum his sola sit salus uirium robur. igitur si dabitur occasio in cruditate ciborum, iniungi debet ieiunium & in fæcuum retentione aliquod leniens madicamentum uel clystere.

Caput XII.

Quidue sit agendum in euacuatione diuersione; deriuationeve, quæ sit per uenæ sectionem, pauca dicere aggrediar, & sic in principio morbi, uel si fugiet occasio; ante quartam diem. si dexteram partem vacuare velimus, dexteram internam uenam secabimus, ita laborante liene sinistram, uerum pro diuersione in omnibus partibus laborantibus oppositæ venæ perpetuo secari debent, seruando rectitudinem longitudinis uel latitudinis secundum trinam corporis dimẽsionẽ, secus in deriuatione, cũ ex propinquo sanguis educi debeat. Idcirco plerunque sit sectio tenuium uenarum cum scarificatione iam prope

atque proportionate loco secando, quod nõ tantum si uires sint imbecilles, ut prædiximus, partiri debet sectio uenæ sed ut natura discat ad sectionem materiam transmittere, ut contingit in sputo sanguinis, qui & si qualitate uel quãtitate seiunctim, uel copulatim peccauerint ex loco ea ipsa retrahitur atque paulatine educit, sicque intelligendum sit in menstruis educendis a matrice secta saphena ut ad eam sanguinis cursus fiat.

Caput XIII.

Id repetere quæ in præcedentibus annotauimus, ut ad memoriam ipsa reuocemus, nõ ab re erit, & primo cognoscendum fore affectum, qui vacuationem postulet, ac eam quæ fit per uenæ sectionem, quandoquidem duæ sunt principaliores, potissimeq; indicationes quibus simul iunctis quam optimum medicũ faciunt, Ratio scilicet & Experientia, eiusque instrumenta quodammodo appellari debeat uerum in his diutius ac per totam vitam medicum defatigari ac etiam accurateq; iudicio præditum esse deceat, nullus inficias ibit, quæ

omnia

omnia, si rationes principia, dignitates, siue maximas hæc appellari lubeat, non sunt nisi vniuersales quædam naturæ diuinitus in omnibus insitæ, hancque priorem usum demonstrandi rationales medici habere debent alterum artifices. Gal. enim Meth. lib. 9. inquit, non licere nullius artis scientiam nancisci, nisi & methodum quandam habuerit per vniuersalia vocata theoremata, & in particularibus se exemplis exercuerit, cum neque fieri possit, vt sine multiplici in ægris singulatim exercitatione, quod ex vsu sit faciat.

Caput. XIIII.

Certo tam in plenitudine, quo ad uasa, quã quo ad uires hac uacuatione indigere, atque festinanter uti debere, exemplum ubi uirtus prægnans & lapsa sit ì plenitudine humorũ, fieri non potest, ut nondum homo ægrotet ac etiam in maximum ac lethalem morbum incurrere possit, nisi presso in rationalẽ medicum inciderit, ut in nostris retroscriptis patefecimus, ac si quis maximum onus portet, ubi grauatur ac fatigatur concidit, & prostra

tus in terrā decumbit. & sic ceu ut is à graua mine ac onere ab ipso ablato leuatur. Pariter & æger in aliqua huiusce plenitudinis destitutus, subito etiam leuatur ab vniuersali sibi præstita euacuatione', quæ fit per sanguinis missionem: verum enimuero si hanc venæ sectionem in corpore sano audacter faciendā iam præcepimus, quum sentire se homines graues, pigros, segnes, & ægre mobiles, dicant, multomagis in ægrotantibus, cùm in omnibus his phletoricis, ac destitutis corporibus hac venæ sectione vti necessum sit, licet chachomicos quamplurimos homines, sola purgatione, frictione, ac stufa cum additione discutientis olei in sanitatē recuperari possimus.

Caput X V.

Inter reliqua tempora selectissimum tempus sanguinis mittendi est uernum. Quippe qui tunc aer sit temperatus ac etiam sanguis eo tempore augetur, adeo quòd omnibus vacuationibus sit aptissimum: uerum melius ntelligendum esse in fine veris versus æstatē quum tunc sanguis à naturali sua temperie

recedat, atque ad caliditatem declinat :uerũ hoc artificiose coniecturandum, cum non in omnibus, sed tantum in his sanguinis missio fieri debet, qui soliti sint incidere in morbis tempore æstatis. ea propter quibus sectio aut medicamentum purgans confert, ijs uerno tempore propinare oportet, & huius ratio est ne calor æstiuus repente superueniens sanguinem liqueat, & in calidiorem temperaturam reducat, furiosumque faciat, & sic sanguis copiosus calidus in aliquam corporis debiliorẽ partem irruat, & in ipsam plegmonem, erisipellas, uel id genus operetur. nos enim docet Gal. lib. quibus medicamentis, quove tempore purgare oporteat, ut in articulorum doloribus afflictis, apoplexia, comitiali morbo suppressis menstruis hemoroydibus, vertigini, quibusve quotannis in æstate soliti sint incidere ad auertendum pariter & euacuandũ eorum humores, & tunc temporis venæ sectione uti debemus, alia quæ huic materiæ sint necessaria videant studiosi in de sang missione libello ac in cæteris abunde suis locis.

Caput XVI.

Ratio regula ac praxis, quibus omnibus ægrotantibus occurrendum pariter & in his necessario obseruandum sit, sunt remedia quæ à medico adaptari debent, tum reuulsione faciunda per scarificatas, ac copiosa flamma admotas cucurbitulas, quum per hyrundines, adhuc etiam & per fricationes, tam si asperę, quam si mediocres sint à loco sursum deorsum uel econtra, per oppositas partes una dum per deriuationem ipsis iam instrumentis loco propinquo partis affectę, summatim dicere iam aggrediar, & primo quod nullum horum admoueri fas sit corpore non existente purgato, ac si quis diceret pharmaco medicari: uerum si dabitur occasio hæc omnia præire debet vniuersalis uacuatio, quæ fit per sang. missionem & maxime in phletoricis, nisi alia sint quæ se opponant, ipsamque nolint, ut sat in his quæ retro notauimus. Ea propter si cucurbitulę quoquo ingenio ad moueantur attrahendi uim, & quammaximam non obtinerent, sedulo foras ac supra

cutim

cutim imponerentur, vt ab intra ad extra uirus educi debeat, ut ſemper priſcorum medicorum quum etiam recentiorum omnium, ca mei ipſius fuit vſus, tam in morſu canis rabioſi quam etiam in ictu animalium uirus eiaculantium pariter & in bubonibus peſtilentibus, uel id genus phlegmonum, quæ ueneno ſam ſecum ferant qualitatem, & ſic data occaſione has uentoſas vitreas, vel corneas paruas loco affecto admoueri nihil efficacius inueſtigari poteſt, ac etiam ſuprà ægri ſalutem ſortiri quimus. licèt non ab re ac tum cauterio ferro ignito quum etiam calorificis hinc, inde ac quoquo ingenio foras applicitis medicamentis, intus autem, ut corroborent ac venenis aduerſentur etiam & theriaca & id genus alexeteriorum medicamentorum ſimplicium neceſſe ſit uti, & ſi eſſent quamplurima alia annotanda, reliqua omittamus, quũ vndequaque ſtudioſi ad Gal. monumenta animum abducere valeant, ut, puta ad ea in quæde tumoribus præter naturam atque etiam contra Eraſiſtratum inſcribuntur. & tandem ut errores ac infamiam fideles apud

doctos

doctos excutiam, atque conscientia huius materiæ bene ac fœliciter gestæ, ex animo meo iubilare possim. sit Deo gratias, in secula, & de his dicta sint satis.

FINIS.

